
COMMENTARIUS IN PRIMAM & SECUNDAM HORATIJ SATYRAM...

Julianus Aurelius Haurech



COMMENTARIUS IN PRIMAM & ſecundam Horatij Satyram autore Iuliano Aurelio Leſſignienſi, in ſuprema Mechlinienſi curia cauſſarum patrono.



PARAPHRASIS IN EASDEM eodem autore.

A. GOÝNVS MORENSIS
Lectori.

Vix dum prodibat Satyræ ſolers ὑποφη-
Nec fuerat vatis fulta nitore ſui,
At nunc nacta ducem, præſtanti pec
Iulum
Aurelium, hæc, cuius dexteritate n

ILLVSTRISS. ADVLESCENTI D. IOANNI A BERgis Iulianus Aurelius Leſſig. S. P. D.



VM NVPER AMICIS quibuſdam meis oſtendiſſem, quæ ſuperioribus annis in duas Horatij ſatyras annotaueram, atq; illi vno ore omnes me hotarentur, vt ea typographis committerem: adductꝰ ſum tandem eò, vt ſententię eorum ſubſcriberem. Nam & ſi non ignorabam nullum vnquam ſeculum fuiſſe hoc vel eruditius vel naſutius: confidebam tamen labores hoſce meos ſi non alia virtute, argumenti ſaltem vtilitate cãdido lectori placituros. Ambiant ſanè alij quantum velint Ciceroniani cognomen, atq; etiam vt tales publicè habeantur: orationes, dialogos, epiſtolas deniq; conſcribant. Ego certè plus ſatis aſſecutus mihi videbor, ſi præſtantiſſimo poëtæ nulli latinorum in ſuo genere ſecundo, dicar his commentarijs aliquid lucis ad

didisse. Nam aliorum ad hunc autoren
terpretationes, vt fortassis omni ex p
malæ non fuerint (neq; enim animus e
cuiusquam gloria quicquam detrah
dignus tamen erat Horatius, quem &
gentiores & eruditiores interpretar
Quantum autem ipsi præstiterimus,
le hi iudicabunt, qui nostra paulò att
legere, eaq; cum alienis conferre non
uabuntur. Cæterum quidquid est hoc
bratiunculæ, id totum, adolescens illu
sime, libenter sub nominis tui lenocin
publicū exire patimur. Nam cū inter
ores omnes principes, q in aula versa
non solùm bonarū omnium artiū ipse
diosissimus sis, sed etiam eruditos on
ab ineunte ætate summa beneuolenti
credibiliq; fauore semper prosecutu
nō occurrebat mihi inter tam multos
cui fœturam hāc meam iustius consec
Neq; verò, hoc ab inscriptione me d
ruit, q nulla tibi familiaritate coniun
sim, cum perspectissimum habeam i
à Francisco à Burgundia viro, ita me
bene amet, omni virtutum & eruditi
genere cumulatissimo institutum, vt
di

diuitijs & opibus valde conspicuus sis, magis tamen humanitate excellas. Omniaćq; quæ tibi offeruntur quantũcunq; exigua sint, placidissimo vultu accipere soleas. Certè hac naturæ tuæ dote fretus, ausus fui, generosissime adulescens, quidquid hoc est literati munusculi ad te destinare. Quod vt pro solita tua humanitate, innatoćq; tuo erga literas amore, obuijs vlnis accipere digneris, etiam atque etiam te obsecro, atq; obtestor. Vale. Mechliniæ 6. Calen. Decemb. anno 1540.

DE SATYR

ET EIVS ORIGINE.



ATYRA, QVÆ T
noſtra eſt, finit à Dion
carmen maledicũ: mor
& petulcũ, ad rep̄hnedn
vitioſos hominum mor
lùm inuentum. nihil à v
Comœdia, niſi ſolo nomine, diuerſaq
minis lege differens. Nam quemadn
in veteri Comœdia, ſic in Satyra liceba
nominatim ſceleratam ciuium vitam
ſtringere. Sed vetus Comœdia Iambi
nario, ſatyra hexametro heroico ſcrib
bat, niſi quòd etiam apparet ex arte p
ca Horatij, & ex Donati de Comœdia
mentario ſatyras ab initio, ſenario qu
carmine ſcribi ſolitas, Lucilium autem
mum mutaſſe pedes & numeros. Q
autem ſatyra originem ducat à veter
mœdia, oſtendit Horatius ſatyra qua
bri primi. Vnde verò dicta ſit ſatyra
ant ſentẽtiæ, alijs à ſatyra lege, alijs à l
alijs à ſaturitate, alijs ἀπὸ τῆς σάτης eam d

tibus. Vicit tamen eorum ſententia, qui eam dictam eſſe ſcripſerunt à ſatyris dijs illotis & proteruis, quos initio poëtæ loquentes introducebāt, vt ſub illorum perſona liberius in mores hominum inueherentur. Quod etiam ex multis Horatij locis facile colligere licet, vt ex hoc.

Mox etiam agreſtes Satyros nudauit.

Item ex hoc.

Verum ita riſores, ita commendare dicaces
Conueniet Satyros.

Rurſus ex hoc.

Non ego inornata, aut dominantia nomina ſolùm,
Verbaq;, Piſones, ſatyrorum ſcriptor amabo.

De ſatyris ſi quis multa cognoſcere auidꝰ eſt, legat quæ Plinius in 7. Philoſtratus in Apollonio, & diuus Hieronym. de eis ſcripta reliquerunt. Appellauit autem Satyras ſuas, Sermones, magis ob ſtyli exilitatem ac tenuitatem, quàm quòd ad præſentes ſcriptę eſſent, aut quòd vereretur ne nominis acerbitate (abhorrebant enim à ſatyræ voce Romani) deterriti à legendo reſilirent. Nam ſi hoc metuiſſet, per totum opus Satyræ ne meminiſſet quidem, tan-

tum abeſt, vt ſecundum librum ſic
catus fuiſſet.

Sunt quibus in Satyra uideat nimis acer.

&c. Et hęc quidē de præſentis operis
dixiſſe ſufficiat. Quantùm auten
Horatij nomina attinet, illud ol
ter notandum eſt, Flaccum,
autore Plinio, à flaccidis
ſeu pendulis auribus
ſic eſſe cognomi-
natum.

Q. HORATII

FLACCI SERMONVM Liber primus.

SATYRA PRIMA.



Vi fit Micœnas, vt nemo, quam sibi sortem ,,
Seu ratio dederit, seu sors obiecerit, illa ,,
Contentus viuat, laudet diuersa sequentes? ,,

Hæc prima Satyra scripta est tota in auaros, quos cùm multis alijs nominibus, tùm hoc potißimùm miseros esse cõuincit, quòd illis tam desint quæ habent, quàm quæ non habent. Ea siquidem ingenij prauitate sunt auari, ut quærant tantùm, nec unquam comportatis rebus uti audeant. In fine autem omnes ad mediocritatem hortatur, quam idem poëta uocat in Odis auream. Hic fortaßis prætereundum nõ est, quòd initio statim conatur auaritiam, ut omnium malorum fomentum è mentibus hominum radicitus extirpare. Scripturus autem in auaros auspicatur ab hominum inconstantia, ut doceat tantam istam humani ingenij instabilitatem, nõ aliunde q̃ ab auaritia proficisci. Incipit ex abrupto, quod principium uitia taxaturis est aptißimũ. Mitius tamẽ exorsus est, q̃ Persius aut Iuuenalis, quorum alter sic incipit,

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane. ,,

alter uerò sic,

„ Semper ego auditor tantum? nunq̃ ne repo

Qui fit) sentẽtias huiusmodi multas apu
reperias, nominatim in Epistola ad Villicum

„ Cui placet alterius, sua nimirum est odio so
& paulò post.

„ Optat ephippia bos piger, optat arare cab

Mecœnas) obiter laudat Mecœnatem, q
set per Augusti liberalitatem ad Senatoriu
ascendere, intra equestrem consistere malui

Vt nemo quam sibi sortem) Ista eò
(quod est apud Terentium in Andria) quan
uis non potes, id uelis quod poßis. Oportet e
dum prouerbia, id quod adest boni consuler
cunq; Sparta contigit, eam adornare.

Seu ratio, seu fors.) Stoici ratione omni
cebant, Epicurei casu. Christiani uerò prouid
uinæ omnia tribuere debent, ut est ea de re
Chrysostomo pulcherrimus libellus.

Obiccerit) Verbum fortunæ aptißimum.

Laudet diuersa sequẽtes) Admiratur
indignatur adeo nos corrupto esse ingenio,
magis, nostra minus nobis placeant.

„ O fortunati mercatores, grauis ann

„ Miles ait, multo iã fractus mẽbra l

„ Cõtrà mercator, nauim iactãtibus A

„ Militia est potior. Quid enim? cõcurri

„ Momẽto cita mors uenit, aut uictori

C

O fortunati) *Amplificatio superioris sententiæ ab exemplis. Ad similem inconstantiam pertinent uersus hi in prima Epistola libri primi,*

Lectus genialis in aula est, „
Nil ait esse prius, melius nil cœlibe uita. „
Si non est, iurat bene solis esse maritis. „
Quo teneam uultus mutantem Protea nodo? „

Fractus mẽbra) *Poëtis familiaris figura. sic Verg.*
Sidonio pictam Chlamidem circumdata limbo. „

Nauim iactantibus) *omni quidem tempore, sed præcipuè in summa tempestate, iuxta illud quod alibi dicit Horatius:*

Otium diuos rogat in patenti „
Prensus Ægeo, simul atra nubes „
Condidit lunam, neq; certa fulgent sydera nautis. „

est autem iactare uerbum huic loco congruentissimum Sic Vergilius. Iactatos æquore toto Troas. „

Cita mors) *Antitheta. quia ante dixerat,* nauim iactantibus. *Nam illud* (iactantibus) *temporis diuturnitatem significat.*

Agricolam laudat Iuris, legumq; peritus, „„
Sub galli cantũ cõsultor vbi hostia pulsat. „„
Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem est, „„
Solos felices viuentes clamat in vrbe. „„

Agricolam) *Subnectit aliud inconstãtiæ exemplum reciprocum. Nam Iurisconsulti rusticos, rustici Iurisconsultos beatos prædicant.* „„

Sub-

Sub galli cantum) *id est, ut Cicer*
mane. gallus enim à poëtis dicitur lucis
& auis lucis à Martiale hoc uersu,
» *Cristatæq; sonant undiq; lucis aues.*
Solos felices viuẽ. cla. in vrbe.
Rure ego uiuentem, tu dicis in urbe bea
Tales autem homines semper querulos
bulo Græci uocant μεμψιμοίρους.
»» Cætera de genere hoc (adeo s
loquacem
»» Delassare valẽt Fabiũ. Ne te m
»» Quò rem deducã. Si qs deus, en
»» Iam faciã, q̃d vultis: eris tu, q mo
»» Mercator: tu consultus modo
Hinc vos,
»» Vos hinc mutatis discedite part
»» Quid statis? Nolũt. Atqui licet e
»» Quid caussæ meritò, quin illi
ambas
»» Iratus buccas inflet, neq; se fore p
»» Tam facilẽ dicat, votis vt præbeat
»» Si quis deus.) *Vrbana fictione docet o*
de suis queri profeßionibus, neminem tame
mè poßit, esse mutaturum.
Qui modo miles, mercator) *miro*
complexus est, quod ante uersibus nouem ui
Quid statis?) *Blanda reprehensio, quas*

& petitam conditionem respuentium.

Buccas inflet) *Buccarum inflatio uehementioris iracundiæ signum est, quòd qui iram colligunt, maiorem spiritum ore contineant.*

Votis vt prębeat aurem) *Notißimus ille Aesopi de ranis apologus, ad quarum aßiduas coaxationes iam tot annos obsurduit Iupiter.*

Præterea, ne sic, vt qui iocularia, ridens
Percurrã: quanquã ridẽtem dicere verum
Quid vetat? vt pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elemẽta velint vt discere prima:
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.

Præterea) *Transitio & ueluti sui ipsius castigatio, quasi dicat, sed penè meipsius oblitus sum, q cũ instituerim de rebus grauißimis scribere, iocer interim ac rideã*

Quanquã) *correctio superioris, ut sit sensus, quanquam cur non imiter præceptores, qui crustulis pueros ad literas alliciũt. i. cur nõ serijs rebus iocosas immiscea atq; ita auditores captem? Ostendit res philosophicas etiam ridendo tractari posse. Et sanè Aesopus suis illis fabulis penitius uirtutem animis nostris inserit, quàm multorũ maximè seriæ altercationes. Quomodò autem pueri ad amorem literarum alliciendi sint, uide Quintilianum in primo.*

Ille grauem duro terram q vertit aratro,
Perfidus hic campo, miles, nautęq; p omne

Auda

» Audaces mare q currũt:hac mente
» Sese ferre,senes vt in ocia tuta rec
» Aiunt,cùm sibi sint congesta cibar
» Paruula (nam exemplo est) magn
ca laboris
» Ore trahit q̃dcũq; potest,atq; addit
» Quem struit haud ignara ac non
futuri.
» Quæ,simul inuersum contristat a
annum,
» Non vsquam prorepit, & illis vtitu
» Quæsitis patiẽs. Cũ te neq; feruidu
» Dimoueat lucro,neq; hyems,igni
ferrum
» Nil obstet tibi,dum ne sit te ditior

Ille grauem) *Sequuntur iam seria. & in p uersu periphrasis est agricolæ.*

Perfidus caupo) *Perpetuum epitheton, prium est syncera semper uitiare.*

Nautæ audaces) *sic in Odis.*

» *Illi robur & æs triplex*
» *Circa pectus erat,qui fragilem truci*
» *Commisit pelago ratem primus.*

Hac mente) *Ostendit uel in maximis uitijs deesse excusationem, quæ etiam prima front probabilis.*

Sicut paruula) *Sequitur exemplum, quo*

piditatem suam palliant. Notanda autem antitheta ista Paruula, & magni laboris.

Ore trahit) similis comparatio est apud Vergilium in quarto, cum loquitur de discedentibus Aeneæ socijs. Versus incipiunt, Ac ueluti ingentem, &c. nam omnibus noti sunt.

Quæ simul) respondet auaris, exemplumq; formicæ, quo illi maximè nituntur, pro eis nihil facere docet Est autem hîc superioris exempli destructio per eiusdem exempli inuersionem.

Inuersum annum) Sic Verg. Olim uoluentibus annis. Item. Voluenda dies en attulit ultro. & Horatius alibi recurrentes annos uocat. Nam ut inquit Ouidius: Perpetuò uoluuntur anni, & eunt more fluentis aquæ.

Aquarius) Dicit sole in Aquariū ingresso, quo tempore iuges sunt pluuiæ, & maxima frigora, saltem quiescere formicam: auarum autem nunquam.

Quæsitis) non ergo facit formica quod tu ô auare. Vtitur enim quæsitis, tu quæsita in terram defodis.

Patiens) at auarus nunquam contentus est. nam, ut inquit ille:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi.

Neq; hyems, ignis, mare, ferrū.) Sic Iuuenalis:
Veniet claßis quocunq; uocarit
Spes lucri, nec Carpathium, getulaq; tantum
Æquora transiliet, sed longè calpe relicta
Audiet Herculeo stringentem gurgite solem.

eodem

» *eodem pertinet illud Horatij.*

» *Per mare pauperiemfugiens,per saxa,p*

» Quid iuuat immensum te arge
    & auri
» Furtim defossa timidum depon
» Quodsi cōminuas, vilē redigai
» At ni id fit, quid habet pulchri
    aceruus?
» Millia frumenti tua triuerit are
» Nō tuus hoc capiet vēter plus q̃
» Reticulum panis venaleis inter
» Forte vehas humero nihilo plus
» Qui nil portarit. vel dic quid ref
» Naturæ fines viuenti, iugera ce
» Mille aret? At suaue est ex mag
    aceruo:
» Dum ex paruo nobis tantumd
    re relinquas,
» Cur tua pl9 laudes cumeris gra
» Vt tibi si sit opus liquidi nō amp
» Vel cyatho, & dicas magno d
    mallem,
» Quàm ex hoc fonticulo tantund
    re. eo fit,
» Plenior vt si quos delectet copia
» Cū ripa simul auulsos ferat Aufi

At qui tantuli eget, quanto eſt opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, necp vitam amittit in vndis.

Quid iuuat) *ma[illegible]e ſtomacho hæc in auaros dicit, qui cùm accumulandæ pecuniæ gratia nihil nõ agant, accumulatam iam contingere non audent.*

Furtim, timidum) *his duobus uerbis graphicè ſanè nobis auarorum hominum naturam expreßit. Huiuſmodi erat apud Plautum Euclio. Huc referendum eſt apophthegma de Dionyſio, qui nolebat, ut ciues ſui redderent τὸ χρηστὸν ἄχρηστον.* Notandum hic obiter *Græcos appellaſſe pecuniam τὸ χρῆμα, ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι. quòd ſi qs pecuniã defodiat, iã fient illi ἀχρήματα, τὰ χρήματα.*

Quod ſi comminuas) *Inducit ſibi reſpondentem auarum, ſed ut eius excuſationem mox eludat. Attende autem hic ſuauè dialogiſmum inter poëtã & auarum.*

At ni id fit) *id eſt, niſi conſumantur pecuniæ, quid proſint? Similis ſententia eſt in Odis,*

Nullus argento color eſt auaris
Abdito terris, inimice lamnæ
Criſpe Salluſti, niſi temperato Splendeat uſu.

Millia frumenti) *damnat nimiam rerum abundantiam, cùm ſufficiat ad uiuendum naturæ conuenienter, mediocribus diuitijs inſtructũ eſſe, quas ubiq; ipſe commendat, ut in Odis,*

Bene eſt cui deus obtulit
Parca quod ſatis eſt manu. & *alio loco.*

B   Viuitur

Vt tibi si sit opus) *exemplo declarat auarum ex iudicij deprauatione multa quærere, cùm tamen medio-critas sufficiat.*

Cum ripa) *id est, fit ut maximè de uita periclitētur. allegoricè docet periculosam esse copiam, & tutam mediocritatem.*

Turbatam) *Vult neque nimis accisas esse fortunas nostras, neque rursus nimis amplas. Mediocritas enim sordibus nos uindicat, & à periculo liberat.*

At bona pars hoīm decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit: quia tanti, quantum habeas, sis.
Quid facias illi? iubeas miserū esse libēter
Quatenus id facit, vt quidam memoratur Athenis
Sordidus ac diues, populi contēnere voces
Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simulac nummos contemplor in arca.

At bona) *occupat auarorum falsam opinionem, qui sibi persuaserunt, eos, qui ditißimi sunt, esse quam honoratißimos. Ab illa stulta persuasione dictum est ab eodem poëta ironicè*

O ciues ciues quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos.

Tanti, quantū habeas, sis.) *Sic Horatius alibi,*

" Hos solos aiunt sapere, & bene uiuere
" Conspicitur nitidis fundata pecunia uill
" In pretio pretium nunc est, dat census h
" Census amicitias, pauper ubiq; iace
Erasmus in adagijs dicit sententiam ha
uenisse in prouerbium.

Quid facias illi) hac utimur phras
mus aliquem stulta quidem loqui, sed
ad eius respondere allegationes, ut po
las: cumq; scimus talem emendari nolle.

Iubeas miserum esse) quando cu
Nam inuitum qui seruat, idem facit occ
re scriptum est, beneficium inuito non e

Vt quidam memoratur) intellig
ferè omnes de Timone, uerũ haud scio a
quem ferũt & uixisse pauperem, & e
auaritiam, ut quam omnium malorum
diceret. Nam quæ de eo scribit Lucia
parte fabulosa sunt.

Populus me sibilat) Similis est a
imitatio.

" Tunicam mihi malo lupini,
" Quam si me toto laudet uicinia pago
" Exigui ruris paucißima farra legentem

Contemplor in arca) proprium e
plicatam suam pecuniam tantùm non a

" Tantalus à labris sitiens fugie
" Flumina, quid rides? mutato n

Fabula narratur, congestis vndiq; saccis
Indormis inhians: & tanquã parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanq̃ gaudere tabellis.
Nescis quid valeat nummus, quem præbeat vsum.
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde
Quêis humana sibi doleat natura negatis
An vigilare metu exanimem, noctésque diesq;
Formidare malos fures, incendia, seruos,
Ne te cõpilent fugiẽtes: hoc iuuat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Tantalus) *Pœna qua Tantalus apud inferos torquetur notißima est. Hic addendum Tantali supplicia de ijs dici, quibus adsunt quidem bona, uerùm ijs frui deo negatum est, ut sunt auari.*

Congestis vndiq; saccis) *Sic Iuuenalis,*

Parcius homo rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas seruet easdem
Hesperidum serpens.

Pictis gaudere tabellis) *est elegans apud Græcos epigramma in eos, qui rebus suis nec utuntur, nec alios uti patiuntur. Sic habet epigramma Latinè uersum à Moro.*

In præsepe canis fœno nec uescitur ipse,
Nec sinit ut fœnum qui cupit edat æquus.

» *Seruat auarus opes, opibus non utitur ipse,*
» *Atq; alios uti qui cupiunt prohibet.*

ad similem insaniam pertinent illi uersus in.2
» *Si quis emat cytharas, emptas comportet in u*

Nescis) *legendum magis affirmatiuè, quàn gatiuè. Est autem acris in auarum pecuniæ u entem, stomachatio.*

An vigilare metu exanimem) *undi auaros, ut nullũ ipsorũ excusationibus locũ* noctesq; diesq;) *Sic Iuuenalis:*

» *Tantis parta malis cura maiore, metuq;*
» *Seruantur, misera est magni custodia census.*

Horum) *epiphonemate claudit, in re lauta inesse quàm mellis.*

» At si condoluit tentatum frigore co
» Aut alius casus lecto te affixit, hab
» Assideat, fomenta paret, medicum
vt te
» Suscitet, ac reddat natis, charisq; ppi
» Non vxor saluum te vult, nõ filius,
» Vicini oderunt, noti, pueri, atq; pue
» Miraris cũm tu argẽto pòst omnia p
» Si nemo prestet, quẽ non merearis a

At si condoluit) *occupat aliam excusation sona auari. Prætexit aũt auarus ingruentẽ nece,* Charisq; propinquis) *uel quòd chari esse uel ex opinione auari, qui tales esse putat.*

Non uxor) *respondet auarũ omnibus esse odiosum, neminemq; reperiri, qui optet eum conualescere. Notum adagium. Hæredis lachrymæ, & uulgo usurpatum est, nihil auarum rectum facere, nisi cùm moritur.*

Miraris) *occurrit tacitæ quæstioni.*

At si cognatos, nullo natura labore „

Quos tibi dat, retinere velis, seruaréque amicos, „

Infelix operam perdes, vt si quis Asellum „

In campum doceat parentẽ currere frenis. „

At si cognatos) *Dicit auaros toto cœlo, totaq; uia aberrare, qui credant se à cognatis amari. Sola enim liberalitas facit, ut & ueteres amici retineantur, & noui parentur.*

nullo labore) *Dedit quidem nobis natura sine ulla nostra benignitate cognatos. Cæterum si eos nobis amicos retinere uelimus, necesse est, ut erga eos liberales simus. non enim quemadmodum gratis dati sunt, ita gratis retineri possunt.*

retinere) *his tuis sordibus.*

Infelix operam perdes) *quia nunquam te amabunt, propter nimiam tuam tenacitatem. Perdes ergo operam, quia nunquam eos retinebis.*

Asellum parentem) *Vide Erasmum in Chiliad. adagio. 340. chiliadis primæ.*

Deniq; sit finis quęrendi, cũq; habeas plus, „

Pauperiem metuas minus, & finire laborẽ „

 Incipias

„„ Incipias parto q̊d auebas: ne
„„ Vuidius quidā, non longa est
„„ Vt metiretur nummos, ita so
„„ Non vnquam seruo melius v
„„ Supremum tempus ne se per
„„ Opprimeret, metuebat: at
securi
„„ Diuisit medium fortissima T

Deniq;) *refutatis argumentis omni lent auari in medium proponere, con cepta, docens cupiditati modum aliq simulq; exemplo & periculo Vuidij sordibus nos deterret. Est autem supe & ueluti totius satyræ scopus. Subint tam debiles pro te rationes adferas,*

Sit finis) *alioqui amor nummi sem net igitur, ut certum uoto finem peta tem quiescamus, quùm assecuti fueri habebamus.*

cumq; habeas plus) *.i. auctiores*

Finire laborem) *quia superius a* ftet tibi. *Salse autē notat Aristoph istam habendi cupiditatem, his uerbi* λαβῇ τρία καί δεκα, πόλυ μᾶλλον ἐπιθυμ κα. κἂν ταῦτα ἀνύσῃ, τετ]αράκοντα βο εἶναι βίωτον αὐτῷ βίον.

Non longa est fabula) *facit h*

Fabulam autem hic pro historia posuit, notatq; Vuidiū quędam sui temporis auarum notissimum, obiter docet genium suum non esse defraudandum.

Ne se penuria) Talem describit nobis Opininum quendam in secundo Sermo. satyra. 2. Vide uersus quia pulchri sunt. & in epistolis monet Icciū, ne, ditissimus cū sit, herbis & urtica uiuat, ne contingat ei q; Midæ.

Quid mi igitur Suades? vt viuā Meuius? aut sic ,,
Vt Nomentanus? pergis pugnantia secum ,,
Frontibus aduersis cōponere: nō ego auarū
Cū veto te fieri, Vappā iubeo ac nebulonē. ,,
Est inter Tanaim quiddā, socerumq; visellî ,,
Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines, ,,
Quos vltra, citraq; nequit cōsistere rectū. ,,

Quid mi) docet quatenus fugiēdæ sint sordes, inducitq; auarum interrogantem, an cum tantopere auaritiā insectatus sit, ad prodigaliter uiuendum inuitet, cui statim respōdet inter ea duo, mediū quiddam esse, ututrūq; in uitio sit, uiuere parcè nimis, & profusè nimis.

Vt viuam Meuius) Mirè hoc loco uariant exemplaria. Nam aliqua habent, ut uitam Neuius, ut subintelligas, ut talem uitā uiuam, qualem uixit Neuius. ego uerò puto legendum Menius. Fuit enim Menius homo profusissimus à quo dicuntur Meniana, quæ sunt partes ædificiorum. Accipe autem etiam Nomentanum pro homine prodigo

Non ego auarum) *cum te ab auaritia de*
ad effusam quandam adhortor prodigalita
modo autem rebus suis uti oporteat, docet illu
rum epigramma latinè sic redditum.

» *Tanquam iam moriturus partis utere rebus,*
» *Tanquam uicturus denuò parce tuis.*
» *Ille sapit qui perpensis his ritè duobus,*
» *Parcus erit certo munificusq; loco.*

Vappam) *Sic alibi. quid enim differt bara*
» *Dones quicquid habes, an nunquam utare pa*
» Pergis pugnantia) *Sic apud eundem ali*
Nil agit exemplum litem quod lite resoluit.
Est inter Tanaim) *Salsa quidem & urba*
ria, qua significat inter extrema duo, quæ in u
medium quiddam esse, quod in laude est, ut est
micosum & spadonem.
Est modus) *prouerbialis sententia tristißi*
illa, & ad mediocritatis commendationē appo
Quos vltra cit.) *Vnde dictum est illud a*
Virtus est medium uitiorum, utrinq; reductum

» Illuc, vnde abij, redeo: nemon', vt a
» Se probet, ac potius laudet diuersa se
» Quodq; aliena capella gerat distēti
» Tabescat: neq; se maiori pauperioru
» Turbæ comparet: hunc atq; hunc su
laboret:
» Sic festinanti semper locupletior ob

V

Vt cũ carceribꝰ missos rapit vngula currꝰ ,,
Instat equis auriga suos vincẽtibus, illum ,,
Præteritũ temnens extremos inter euntẽ. ,,
Inde fit, vt rarò qui se vixisse beatum ,,
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ ,,
Cædat, vti cõuiua satur, reperire queamꝰ. ,,
Iam satis est: ne me Crispini scrinia lippi ,,
Cõpilasse putes, verbũ non amplius addã. ,,

Illuc) *Significat redire se uelle ad illam humani ingenij inconstantiam, unde studio insectãdi auaros longius fuerat progressus.*

Nemon' vt aua.) *ita legendum est licet refragentur exemplaria, totusq; contextus pronuntiatione adiuuandus est. Ostendit autem neminem inueniri posse, qui non statim suum ac conditionem uitæq; institutum libẽter mutauerit, præter solum auarum. Is enim habendi morbo sic excæcatus est, ut auaritiã suã nõ modò nõ uelit deserere, sed etiam in hoc sibi placeat, q auarus sit. Hortatur ut saltem faciamus quod auari, hoc est, ut sic animo fluctuare, & alios plus nobis semper laudare desinamus. Non intelligit tamen constantiam in uitio laudandam, sed imitandam tantùm auari stabilitatem.*

Vt cum carceribus) *elegantißima similitudine ab ijs, qui in Olympicis certãnt, ducta, quibus semper anteriores contemptis à tergo subsequentibus uincere unicum est studium, ostendit auaros, qui diuitijs student omnibus anteire, semper aliquod impedimentum ac obstaculum*

ſtaculum inuenire. Similis eſt comparatio,
Georgicorum.

Inde) *ex tanta ſcilicet habendi cupiditat*

SATYRA SECVNDA.



Mbubaiarum colle
macopolæ,
Mendici, Mimæ, ba
hoc genus omn
Mœſtum, ac ſollici
cantoris morte
Quippe benignus erat, contrà hi
digus eſſe
Dicatur metuens, inopi dare noli
Frigus q̃, duramq́ famem depeller
Hunc ſi perconteris, aui cur atq; p
Pręclarã ingrata ſtrigat malus ing
Omnia cõductis coëmens obſonia
Sordidus, atq; animi q parui, nolit
Reſpondet, laudatur ab his culpat
Ambubaiarum) *Etſi ſecunda hæc ſatyr*
quot obſcœnior eſſe uideatur, q̃ ut honeſtæ
re debeant, continet tamen multas elegantiſſi
& optimas ſentẽtias, quibus ab adulterio dete
Neq; ſanè eſt, cur propter unum atq; alterum
lum paulò laſciuius ab ethnico poëta ſcriptum
ceptatam ſancta, tamq; philoſophica paſſim in
te

temnamus. alioqui Iustius totus ille de frigidis & male ficiatis (agnoscis uoces barbaras) in iure Pontificio tractatus reijciatur, qui me hercule adeo omni spurcitiarũ genere abundat, ut ne ipsam quidem Thaidem unq̃ turpius locutam fuisse crediderim. Est autem in tota hac satyra præcipuus Horatij scopus, stultissimam illam hominum opinionem amoliri, qua sibi persuaserunt, in matrona nobiliore quàm togata uoluptatis plus inesse. Interim tamen admonet neutrum faciendum: aut si alterũ faciendum sit, præstare solutam & omnibus expositam quàm nuptam aut alioqui nobilem sectari. Atq; in principio dum præposteros & inæquales Tigellij mores acerbè notat, sub eius persona eorum hominum stultitiam satyricè reprehendit, qui dũ uitium unũ fugiũt, in aliud æquè probrosum incidunt. Optimè autẽ cœpit ab isto Tigellio, ut reliqua commodius procedere possent.

Cantoris morte Tigel) dicit perditissimos quosq; Hermogenis mortem molestimè tulisse: ipsumq; erga tales liberalissimum fuisse: erga uero bonos uiros amicosq; tenues longè parcissimum. atq; ita dum unum uitaret uitium, in aliud prolapsum.

Contrà hic) Malim de eodem Tigellio, quem & tertia satyra ab inæqualitate morum pingit, intelligere, q̃ de alio aliquo, ut uoluerũt Landinus & Badius. & certè sic acerbior fuerit & amarior in Tigellium inuectio quam si de alio intelligas.

Ingluuie) metaphoricè dicitur. Est enim ingluuies in aue pars illa, ubi primum recipitur cibus. Ingratam autem

autem ingluuiem appellauit, quia gula gra
non potest.

Animi quòd parui) *nam semper in pe*
satio est.

Laudatur ab his, culpatur ab illis
liter dici potest, cũ significare uolumus, n
tam insigniter malũ, quin laudatores semp

„ Fusidius vappę famam timet, ac r
„ Diues agris, diues positis in fœnc
„ Quinas hic capiti mercedes exigi
„ Quãto perditior quisque est, tãto acri
„ Nomina sectat̃ modo sumpta ve
„ Sub patribus duris tironũ. maxir
„ Iuppiter exclamet, simulatque audi
„ Pro quæstu sumptum facit. Hic v
re possis,
„ Q sibi nõ sit amic9, ita vt pater il
„ Fabula quem miserum nato vixis
„ Inducit, non se peius cruciauerit,

Fusidius) *adducit exemplum penitus à*
uersum, nempe hominis prorsus auari, ut d
rum, quàm prodigum iuxtà peccare. Mirè
rum describit, hisque exemplis ostendit nihil

Vappæ ac nebulonis) *notandum ista*
ratio ferè coniungi, dicique in hominem prof
tyra superiore.

„ Non ego *auarum*

Cùm ueto te fieri, uappam iubeo ac nebulonem.

Diues agris) hic uersus legitur & in fine libelli de arte poëtica. Adfert autem hoc Fusidij exemplum, uel ut contraria damnet uitia, uel ne quis calumniari possit, quòd odio ac inuidia Hermogenem Tigellium notasset. & ista addit, ut pedetentim ad id de quo dicere statuit, descendat.

Quinas hic capiti) non pro singulis nummis, quinque, ut uoluit Badius, sed ultra caput, id est, principalẽ sortem singulis mensibus quinq; nummos exigebat, atq; ita in fine anni pro centum, centum sexaginta recipiebat, non quingentos, ut uult Badij interpretatio, neque etiam hîc de centesima usura intelligi potest, quæ singulis mensibus unum tantùm nummum, non quinq; & singulis annis duodecim solum, non sexaginta mœrebat. Vult autem poëta ostendere Fusidium hunc omnes omnium fœneratorum usuras excessisse habendi desiderio, qui non contentus simplici centesima legibus permissa, quinque centesimas contra Iura omnia singulis annis exigeret.

Perditur) ostendit quomodo posset quinos nummos quinas centisimas extorquere. Perditissimos enim quosque sectabatur, qui parum curant quàm ingentes promittant usaras, modo possint pecunias alicunde corradere. Solebant autem fœneratores singulis calendis usuras exigere. ut uidere est in tertia satyra cum de Drusone loquitur.

Nomina tironum) & hoc contra senatusconsultũ

Maces

Macedonianum, quo cautum erat, ne quis filio familias pecuniam daret mutuam. Sed dicit hunc tam præcipiti fuisse auaritia, ut lucri spe amißionis periculum contemneret.

Sub patribus) *supple. etiamnum existentium; uel ueste sumpta sub patribus.*

sumpta veste virili) *id est toga, quæ deposita prætexta sumi solebat ad annum 17. uel ut alij uolunt 14.*

Simul atq; audiuit) *tam impotentem auaritiam.*

at ipse) *& hunc locum male interpretatur Landinus. nam (ipse) refertur ad Fusidium, non ad ipsum adulescentem. occurrit autem tacitæ obiectioni.*

atq; hic) *supple, se cruciat recuperandæ pecuniæ sollicitudine, cùm tamen alioqui ditißimus sit.*

Si quis nũc q̃rat, quò res hæc pertinet? illuc
Dũ vitãt stulti vitia, in contraria currunt.
Malchinus tunicis demissis ambulat: est q
Inguen ad obscœnũ subductis vsq; facetus.
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircũ.
Nil medium est. sunt qui nolunt tetigisse, nisi illas
Quarum subsuta talos tegat instita veste.
Cõtrà aliud nullã, nisi olẽti in fornice stantẽ

Si quis) *reddit caussam cur Hermogenis & Fusidij mores inter se adeo dißimiles composuerit, & his duobus uersibus totius satyræ argumentum continetur.*

Dum vitant stulti) *Sic alibi apud eundẽ poëtam.*

In uit

In uitium ducit culpæ fuga, si caret arte Item. »
Incidit in scyllam, cupiens uitare charibdim. Item. »
Nam frustra uitium uitaueris illud, »
Si te aliò prauum detorseris. Vide adagium. »
In ignem incidit, cupiens fumum uitare.

Malchinus) *rursus diuersorum morum exēpla adducit, ut ita commodius ad institutum descendat suum. Intelligunt autem sub Machini nomine Mecœnatis mollitiem obiter notari.* Habuit *enim noster hic poëta morem hunc, ut dum sibi risum excuteret, nulli etiam amico parceret, ut ipse de se alibi testatur.*

Pastillos) *adagium in eos dici solitum, qui medū in rebus tenere nescientes semper in alterutram partem peccant.* Repetitur *& hic uersus satyra.4.*

Nil medium est) *& hæc sententia prouerbialis est ad quam omnia subsequentia referenda sunt, significat tenendum esse medium.*

Tetigisse) *honesto uerbo rem turpem dixit.* Sic Oui.
Dum piget, & nullam malis tetigisse puellam. »

Quarum subsuta) *hunc locum omnes mihi uidentur parum fœliciter enarrasse.* Intelligit *autem uestem matronarum institæ subsui fuisse solitam, id est, institam supra uestem fuisse solitam apponi.*

Contrā alius) *ab illo uersu* (sunt qui nolunt teti. &c.) *incepit principale suum institutum exequi.*

Quidā notus hō cū exiret fornice, macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis,

C Nam

" Nam simul ac venas inflauit tetra libido,
" Huc iuuenes æquum est descendere, non alienas.

Permolere vxores. nolim laudarier, inquit
" Sic me, mirator cunni Cupennius albi.

Quidam notus) *His uersibus non hortatur frequẽtanda lupanaria, sed hoc esse tolerabilius, quàm alienũ lectum concutere.*

Macte virtute) *Hac utimur locutione, cum laudare uolumus, & ad perseuerandum hortamur. ut.*

" *Macte animi uirtute puer, sic itur ad astra.*

Eadem forma dixit Horatius,

" *I bone quo uirtus tua te uocat, i pede fausto.*

Permolere) *turpis metaphora à molis ducta.*

Audire est operę pretium, præcedere rectè
" Qui mœchis non vultis, vt omni parte laborent:
Vtq; illis multo corrupta dolore voluptas
" Atq; hęc rara cadat dura inter sępe pericla.
" Hic se præcipitem tecto dedit, ille flagellis
" Ad mortem cæsus, fugiens hic decidit acrẽ
" Prædonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos,
Hunc perminxerũt calones, quin etiã illud
" Accidit, vt quidam testes caudamq; salacẽ
" Demeteret ferro, iure oẽs, Galba negabat.

Audire

Audire) post factam Cupennij mentionem matronarum sectatoris, recte ac decenter mœchorum calamitates commemorat, ut propositis quibus illi subiacent periculis, ab illicita uenere deterreamur. Sic autem cum superioribus commodè connectos. & quando in mentionem Cupennij adulteri incidimus, operæ pretium est uidere, in quot rerum discrimina tales incidere soleant.

Hic se præc.) similis est apud Iuu. imitatio saty. 10.

Necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.

Ille flagellis ad mortem cæsus) Licuit semper iure ciuili, atq; etiam nunc licet deprehensum & deprehēsam in adulterio impune interficere. Leges tamē Romanorū eandem potestatē non tribuerūt mulieribus maritos deprændendētibus, quemadmodum refert Aulus Gel. lib. 10. ca. 23. de adulteris refert hæc uerba ex quadam Catonis oratione. In adulterio uxorem tuam si depræhendisses, sine iudicio impune necasses: illa te si adulterares, digito non auderet contingere, neq; ius est. Tradunt autem Hicttum quendam argiuum, cum Molurum in uxoris adulterio deprahensum interemisset, legem tulisse, ut idem quoque reliquis liceret. Neq; sanè admodum ab ijs quæ dicta sunt, discrepant ista diuorum Seueri & Antonini ita rescribentium uerba. Publico iudicio non habere mulieres adulterij accusationem quis de matrimonio suo uiolato queri uelint, lex Iulia declarat. Ergo tantū abest, ut in adulterio deprehēsum uirū uxori interficere liceat, ut etiā iure ciuili ne accu

andi quidem potestatem habeat. Et quando in hanc adulterij mentionẽ incidimus, uideamus, utrum hodie quoque secundum leges imperatorias maritus uxorem adulteram impune interficere poßit. Et in hac quidem materia discrimen faciendum est inter uxoris patrem, & maritum. Patri enim semper licet filiam suam adulteram interimere, modo tamen eam in ipso[c] actu uenereo deprehenderit, & ipsa turpitudo domi suæ uel generi patrata sit, & eadem [d] erga adulterum utatur sæuitia. Debet enim utrunque uno[e] prope ictu interficere. Marito uerò idem ius tributum non est. Siquidem adulterum cum uxore deprehensum non aliter ei occidere cõcessum est,[f] quàm si adulter uilis persona sit. Quòd si adulter ingenuus esset & alioqui uir honestus, maritus talem interficiens, non puniretur quidem propter iustũ dolorem, ut homicida, sed in exilium tamen relegaretur. Eadem quoq; pœna afficitur maritus, qui uxorem in adulterio deprehensam occidit. Nam licet ei remittatur [g] ultimum supplicium (difficillimum enim est iustum dolorẽ temperare) tamen si humili sit loco, in perpetuum exilium tradendus est: sin honestiori, sufficit eum in insulam ad tempus relegare. & quod alibi dicitur [h] marito adulteræ interfectori ignosci, intelligendum [i] est, ignosci ei, ut pœna legis Corneliæ de sicar. non teneatur, non ut in totum ei parcatur. Hodie iure [k] nouißimo, post tres denunciationes si maritus inueniat suspectum cum uxore sua in loco suspecto confabulantem, impune interficere poterit. Sed utrum similiter hodie iure nouißimo marito uxorem cum suspecto colloquentem

quentem occidere permiſſum eſt? Ego certè putarim non eſſe permiſſum. Lex enim tantum hoc marito in adulterum nõ in uxorem concedit, & ſolemus alioqui dicere, quod à lege dictum non eſt, à nobis dici debere. Porrò licet olim adulterij crimen capite puniretur, hodie tamen in muliere hoc immutatum eſt. Neq; enim de ea ſumitur ſupplicium, ſed in monaſterium prius uerberata detruditur. Prolixior fortaßè fui, quàm par erat. Sed iucundum mihi interim fuit in argumento ad principale meum ſtudium pertinente diutius immorari. Nunc ad rem redeamus.

Hunc perminxerunt) *hunc. ſupple latitantem. In tales autem permictores ſcripta erat lex ſcatinia. Porrò hic Calones ponuntur pro uilißimo ſeruorum genere ad maiorem ignominiam, cum propriè militum miniſtri ſint.*

Prædonum) *hic prædonum pro nocturnis furibus, & ijs qui ueſtibus obuios ſpoliant. Græcè dicuntur* λωποδύται.

quidam demeteret) *quidam maritus demeteret, amputaret, à meſſoribus ducta metaphora.*

Galba negabat) *quia matronarum ſectator erat, & obiter Galbam perſtringit.*

Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecũda
Libertinarum dico, Salluſtius in quas
Non minus inſanit, quàm qui mœchatur. at hic ſi
Quà res, quà ratio ſuaderet: quaq; modeſtè

Munificum esse licet, vellet bonus atque benignus
esse, daret quantũ satis esset: nec sibi dãno
Dedecoriq́ue foret. verùm hoc se amplectitur vno,
Hoc amat, hoc laudat, matronam nullam ego tango.

Tutior) *significat allegoricè, tutius quidem esse libertinas amare. Sed tamen propemodum æque peccare, qui studiosius quàm oportet sectantur. quod docet exemplo Salustij historiographi, qui libertinas impotentius deperibat.*

merx) *mercem dixit allegoricè pro amore, à re familiari uendibiliq́; ducta metaphora.*

Sallustius in quas) *infamem Sallustij in libertinas amorem notat. Verisimile est autem cum hæc Horatius scriberet Sallustium fuisse mortuum. erat enim Horatio familiaris & amicus, ut satis apparet ex illa Ode quæ incipit, nullus argento. &c. nisi mauis dicere poëtam nostrum soli uirtuti amicum fuisse.*

damno) *nam domum uiuente patre turpißimè uenalem habuit.*

Dedecoriq́ue) *Cicero in Sallu. Itaq; timẽs ne facinora eius clam uos essent, quum omnibus matribus familiarum opprobrio esset, confessus fuit uobis audientibus adulterium, nec erubuit ora uestra.*

Hoc amat) *quasi continuò sequatur, cum qui matronarum concubitu abstinet, uirum bonum esse ac non*

oporteat

oporteat etiam libertinas contemnere.

Matronam) *matrona dicitur quæ cum marito in manū conuenit.* Hoc *loco ponitur pro nobiliore fœmina.*

Vt quondā Marsæus amator Originis, ille ,,,
Qui patriū mimæ donat fundumq́ larēq́ ,,,
Nil fuerit mi, inquit, cum vxoribus vnquā alienis. ,,,
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, vnde ,,,
Fama malum grauius, quàm res trahit, an tibi abunde ,,,
Personam satis est, non illud quicq̄d vbiq́ ,,,
Officit euitare? bonam deperdere famam ,,,
Rem patris oblimare malum est vbicunq́, quid inter- ,,,
Est in matrona, ancilla, peccósve togata? ,,,

Vt quondam) *pendet adhuc à superioribus.* Dicit *enim* Salustium *sic se excusare solitum, quemadmodum se* Marsæus *excusabat.* Commemorat *autem tres diuerso quidem morbo laborātes, æquè tamen stultos omnes.* Primum Cupennium *qui solum matronas ardebat, & sub eius persona docet omnes nobiliorum sectatores innumeris exponi difficultatibus.* Secundo Salustium *libertinarum amatorē, quem contrario quidem, sed æquè tamen turpi uitio obnoxium fuisse dicit.* Vltimo *loco* Marsæum, *qui tantummodo meretricibus delectabatur. ex quibus exemplis uult inferre, non satis esse unum fu*

gere uitium, nisi ab omnibus abstineamus, neq; referre utrum in matrona, an ancilla, an meretrice peccemus, quandoquidem ipsum peccare semper in se malum est.

ille) ille, emphasim habet, quasi dicat, ille notißimus Marsæus.

Verùm est) stultam Marsæi persuasionem amolitur & hoc cum acerba obiurgatione.

Vnde fama) id est, ex quarum amore & rei & famæ magna oritur iactura, sed maior tamen famæ.

An tibi abunde) sic in satyra.3.libri.2.

" Quisnam igitur sanus? qui non stultus. quid auarus?
" Stultus & insanus. quid si quis non sit auarus,
" Continuò sanus? minimè. cur stoice? dicam. Vide locum & in ultima epistola libri.2.

" Non es auarus? abi. quid cætera, num simul isto
" Cum uitio fugere? Et paulò post.
" Quid te exempta iuuat spinis de pluribus una?

Quid interest) loquitur ex opinione stoicorũ, qui dicunt peccata omnia esse paria, contra quos aliquando etiam disputat, ut in sequenti sermone. Cicero.3.paradoxo. Id in quo peccatur, potest esse aliud alio grauius. Ipsum tamen peccare quoquo te uerteris unum est. Lapsa est libido in muliere ignota. dolor ad pauciores pertinet, quàm si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili uirgine. Peccauit uerò nihilominus.

" Villi9 in fausta Syllę gener, hoc miser vno
" Nomine deceptus, pœnas dedit vsq; supq;
" Q; satis est, pugnis cæsus ferroq; petitus,

Exclusus

Exclusus fore, cũ Longarenus foret intus.
Villius) *cùm uideret poëta sui seculi homines ita corrupto esse ingenio, ut existimarent ex concubitu nobiliorum fœminarum plus capi uoluptatis, stultissimamq; illam persuasionem latè plurimorum animos occupasse: reliquam huius satyræ partem absoluit in eorum detestationem, qui toti sunt in corrumpendis illustrioribus matronis. Variant autem hoc loco interpretes. mihi uidetur optimum Villium & Longarenum accipere pro duobus riualibus, ut Villius hic dicatur Syllæ gener, non quòd reuera unquam fuerit, sed quòd toties cum Fausta consueuisset, ut gener dici posset. Si uerò Villium accipias pro Milone, ut aliqui uolunt, intelligendum est non ambiendas esse magnas ac nobiles uxores, sed qualescunq; sufficere etiã ex media plebe. Generosas enim & peccare audacius, & maritos aduersus eas ne hiscere quidem audere. Sed hoc nescio quo pacto non uidetur cum Horatij mente congruere, qui non loquitur de capiendis uxoribus, sed sectandis mulieribus. Hic Acron seipsum intelligere non uidetur, adeo intricatus est.*

Huic si Mutonis verbis, mala tanta videntis
Diceret hæc animus: quid vis tibi? numquid ego abs te
Magno prognatũ deposco cõsule cunnum
Velatumq; stola, mea cum conferbuit ira?
Quid responderet? magno patre nata puella est.

" At quãto meliora monet, pugnãtiaq; istis
" Diues opis natura suæ, tu si modo rectè
" Dispensare velis, ac nõ fugienda petendis
" Immiscere? Tuo vitio rerumq; labores
" Nil referre putas? quare ne pœniteat te,
" Desine matronas sectarier, vnde laboris
" Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.

Huic si) *Si loqui potuisset muto, dixisset Villio, noli sic in quærendis mulieribus laborare, cùm ego qualiscunq; contentus sim.*

magno patre) *id est, scio Villium, ut est corruptissimus, sic esse responsurum.*

At quanto meliora monet) *dicit naturam quauis muliere contentam, nosq; non naturæ sed nostro uitio peccare, si unam alia potiorem putemus. Sed quid monet & quæ sunt illa potiora? nobiles scilicet puellas nihil amplius habere, quàm plebeias, neq; illas studiosius quàm hæc sectandas.*

Pugnantiaq; istis) *istis, supple, prauis cõcupiscentijs, quæ te sic occæcant, ut tibi suauior in filia consulis, quàm idiotæ alicuius, uoluptas esse uideatur.*

Diues opis) *diues est natura, quia multas producit fœminas, etiam quibus sine periculo frui poßimus. Diues autem, si modo ipsius munera intelligeremus, & ea rectè dispensaremus, nec in tam angustum locum coarctaremus, ac non omnia sic confunderemus. Sed nostra*

culpa fit

culpa sit, at inops esse uideatur.

Immiscere) *malim ponere interrogationem post im miscere, quàm post suæ, quia ista* (si modo rectè) *sunt ueluti explicatio, & quodammodo correctio eius, quod dixerat diuitem esse naturam, ut sit, ita demum diues, si non naturæ bonitatem confundas. in uerbo autem hoc,* Tuo, *nouæ quidem sententiæ principium est sed pendentis tamen adhuc à superiore: & ita explicandum est, nihil autem putas interesse inter ea uitia quæ animi petulantia designas, & inter ea quæ ex rerum penuria perpetras? alij aliter distinguunt. Sed mea coniectura uerior esse uidetur.*

Quare ne pœniteat) *te, supple, libertinæ. concludit autem à periculo, & à nullo fructu uitandas esse matronas.*

Nec magis huic inter niueos, viridesq; lapillos, ,,,
(Sit licet hoc Chærinte puer) tenerum est femur, aut crus ,,,
Rectius: atq; etiam melius persępe togatę. ,,,
Adde huc, quòd mercem sine fucis gestat: aperte ,,,
Quod venale habet ostẽdit: nec si quid honesti est, ,,,
Iactat, habetq; palam, quærit quo turpia celet. ,,,

Nec magis) *Posteaquàm docuisset & periculosum & inutis*

& inutile esse, matronas tantopere sectari, addit etiam eas ut plurimum esse plebeis deformiores. & ita uehementer eos errare, qui solas depereunt matronas.

Huic) scilicet matronæ.

Sit licet hoc) Apostrophe in puerū meritorium de forma sibi placentem. & est sensus, licet ô Chærinte inter uniones tuos crura tenera tibi habere uidearis. Est autem nasus satyricus. & intellige, licet tuum hoc crus sit tenerū opinione tua scilicet, ut, hoc, sit δεικτικῶς prolatum. Alij hoc pro simili exponunt, nec parenthesin faciunt.

Adde huc) exponit quod ante dixerat sæpe melius esse crus Togatarum. & ita togatam cum matrona componit, ut etiam longè anteferat. De fucis mulierum sic Ouidius in fine primi de remedio.

„ Proderit & subitò cùm se non finxerit ulli,
„ Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
„ Auferimur cultu, gemmis, auroq; teguntur
„ Omnia. pars minima est ipsa puella sui.

& paulò post.

„ Pixidas inuenias, & rerum mille colores.
„ Et fluere in tepidos æsopa lapsa sinus.

„ Regibus hic mos est, vbi equos mercantur, apertos
„ Inspiciunt: ne si facies, vt sæpe, decora
„ Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem,

Quòd

Quòd pulchræ clunes, breue quod caput, ardua ceruix. "
Hoc illi rectè, ne corporis optima lynceis "
Contemplere oculis, Hypsea cæcior, illa "
Quæ mala sunt spectes, ô crus, ô brachia. verum "
Depygis, nasuta, breui latere, ac pede longo est. "
Matronæ preter faciem nil cernere possis, "
Cætera, ni Catia est, demissa veste tegẽtis. "

Regibus) *quia dixerat matronam occulere, si quid habet turpe, & ostentare tantum pulchra: idcirco nunc monet, ut, ne nobis illæ imponant, non formam tantùm spectemus, sed etiam uitia cõsideremus, omninoq; idem faciamus, quod equorum emptores, qui totos contemplantur. Argumentatur autem ueluti à minori ad maius. si tam diligentes illi sunt in re non usq; adeo sanè pretiosa, in delectu fœminarum dormitabimus?*

Apertos) *alij legunt* opertos, *ut sit sensus, equos ab emptoribus tectos inspici solere, ne si ad solã faciem attenderent, pedum nullam rationem haberent. & hoc exemplo monet, ne matronarum faciem, quæ sola apparet quæq; tota fucata est, tantùm intueamur. Si legis* apertos, *dic exemplo mercatorum, qui totum equum contemplantur, itidem mulieres totas inspiciendas, non unam aliquam corporis partem.*

Molli) *hic,* molli, *pro uitioso, fragili, & imbecilliori. Aliter*

ori. Aliter apud Vergil. & mollia crura reponit. Na equina ungula debet esse dura: sed mollia & flexibil crura laudantur.

Pulchræ clunes) miro laconismo equorum pu chritudinem expreßit. Sic Vergilius in tertio Georg:

» ardua ceruix,
» Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga.

& ab ea facie formaq; metuunt sibi emptores.

Hoc illi recte) & proinde eos in amandis mulie bus imitare.

Hypsæa cæcior) Vide Chiliades simili forma dic tur, Talpa cæcior.

ô crus.) Stulti amatoris exclamatio ad fucatiorem tantum corporis partem attendentis.

Lyceis) aliqui lyncis legũt. aliqui lyncei. & Eras mus in Adagijs pro eo quod habemus contemplare legit contemplans.

Matronę) cõcludit quod ante dixerat. quęrit quo turpia cælet. Sunt qui nouam hic sententiam faciãt. Alij malunt nouam sententiã facere in sequenti uersu. Si interdicta) & melius meo quidem iudicio.

ne corporis optima) Ouidius.

» Quàm potes in peius dotes deflecte puellæ. Idem.
» Profuit aßidue uitijs insistere amicæ.

ni Catia est) Catiam notat ab effronti impudentia non fuit autem libertina, sed matrona, quãuis impudica

» Si interdicta petes, vallo circundata, (nã te

Hoc fa

Hoc facit insanum) multæ tibi tum offi- „„
cient res: „„
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ, „„
Ad talos toga demissa, & circundata palla „„
Plurima: quæ inuideant purè apparere ti- „„
bi rem.
Altera nil obstat. Cois tibi pene videre est „„
Vt nudã, ne crure malo, ne sit pede turpi. „„
Metiri possis oculo latus, an tibi mauis „„
Insidias fieri, pretiumq; auellier, ante „„
Quàm mercem ostendit? — „„

Si interdicta) *Pergit exequi latius, quod dixerat in matrona præter faciẽ nihil cerni posse, enumeratq; plurima obstacula, per quæ fit, ut matronam non poßimus totam contemplari, uelut aliquam è media plebe. & inde rursus euincere conatur, stultißimos esse, qui & pulchriorẽ & faciliorẽ contemnunt.* interdicta, *subaudi membra, id est, quòd si autem secretiores corporis partes inspicere uis ne decipiaris, non queas.*

Vallo) *Vestium scilicet, à re bellica locisq; munitioribus sumpta metaphora.*

Nam te hoc facit) *nam, ut inquit Ouid. in. 3. amo.*

Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata. „
Sic interdictis imminet æger aquis. Item. „
Quæ uenit ex facili, minus est accepta uoluptas. „
& Ausonius:
Hanc uolo quæ non uolt, illam quæ uolt ego nolo. „

Pluri-

Plurima) *alij post* plurima *distinctionem faciunt ut sit nominatiuus singularis. alij post* palla *punctum ponunt: ut sit,* plurimaq́ꝫ alia, *uel* quę plurima.

Altera) *nulla, inquit, talia incommoda libertinam sectanti, & plebeia contento.*

Cois) *Vestimenta coa similia erant cum ijs quæ mulieres hodie creppas uocant.* De cois *Martialis sic,*

Fœmineum lucet sic per bombycina corpus.

An tibi mauis) *obiurgatio poëtæ in talem amatorem per indignationem & interrogationem.*

– Leporem venator vt alta
In naue sectatur, positum sic tangere nolit,
Cantat & apponit, meus est amor huic similis, nam
Transuolat in medio posita, & fugientia captat.
Hiscine versiculis speras tibi posse labores,
Atqꝫ æstus, curasq́ꝫ graues è pectore pelli?
Nonne cupidinibus statuit natura modū, quem,
Quid latura, sibi quid sit dolitura negatū,
Quærere plus prodest, & inane abscindere soldo?

Leporem) *adfert similitudinem, qua matronarum amatores propositum suum excusant, & in persequendo difficultatem defendunt.*

Positum

Positum sic) uel in mensa positum, uel imbellem, nec fugientem. dicitur autem illud, sic, δεικτικῶς.
Transuolat) Sic in prouerbijs Salomonis, aquæ furtiuæ suauiores sunt. & apud Ouidium.
Quod sequitur fugio, quod fugit, ipse sequor.
Hiscine versiculis) cum indignatione respondet talibus cantilenis non sedari curas animi.
æstus curasq;) rectè duo ista coniunxit nihil enim est amore ardentius solicitiusq;, ut apud Vergilium.
Vritur infœlix Dido, totaq; uagatur
Vrbe furens.
Nonne cupidinibus) dicit amores melius quàm per cantica sedatum iri, si diligenter apud nos excuteremus naturæ necessitatem, quoq; illa commodè carere posit, & quo rursus non posit. ostēdit autem naturam facilè tolerare denegatam matronam, sed fortassis dolituram si ei omnē fœminæ usum prorsus adimas. Vir bonus ut dolet sibi denegari absq; quibus uitam fouere nequeat: ita patienter fert si careat quibus nō indiget.
& inane) Allegoricè uocat inane quo facile carere liceat, & solidum quod semper necessarium est.

Num tibi cū fauces vrit sitis, aurea quæris
Pocula? num esuriēs fastidis omnia, præter
Pauonem, Rhombumq;? tument tibi cùm inguina, num si
Ancilla, aut verna est præsto puer, impetus in quem

D Conti-

[c]andi quidem potestatem habeat. Et quando in hanc adulterij mentionē incidimus, uideamus, utrum hodie quoque secundum leges imperatorias maritus uxorem adulteram impune interficere possit. Et in hac quidem materia discrimen faciendum est inter uxoris patrem, & maritum. Patri [b] enim semper licet filiam suam adulteram interimere, modo tamen eam in ipso [c] actu uenereo deprahenderit, & ipsa turpitudo domi suæ uel generi patrata sit, & eadem [d] erga adulterum utatur sæuitia. Debet enim utrunque uno [e] prope ictu interficere. Marito uerò idem ius tributum non est. Siquidem adulterum cum uxore deprahensum non aliter ei occidere cōcessum est, [f] quàm si adulter uilis persona sit. Quòd si adulter ingenuus esset & alioqui uir honestus, maritus talem interficiens, non puniretur quidem propter iustū dolorem, ut homicida, sed in exilium tamen relegaretur. Eadem quoq; pœna afficitur maritus, qui uxorem in adulterio deprahensam occidit. Nam licet ei remittatur [g] ultimum supplicium (difficillimum enim est iustum dolorē temperare) tamen si humili sit loco, in perpetuum exilium tradendus est: sin honestiori, sufficit eum in insulam ad tempus relegare. & quòd alibi dicitur [h] marito adulteræ interfectori ignosci, intelligendum [i] est, ignosci ei, ut pœna legis Corneliæ de sicar. non teneatur, non ut in totum ei parcatur. Hodie iure [k] nouissimo, post tres denunciationes si maritus inueniat suspectum cum uxore sua in loco suspecto confabulantem, impune interficere poterit. Sed utrum similiter hodie iure nouissimo marito uxorem cum suspecto colloquentem

quentem occidere permissum est? Ego certè putarim non esse permissum. Lex enim tantum hoc marito in adulterum nō in uxorem concedit, & solemus alioqui dicere, quod à lege dictum non est, à nobis dici debere. Porrò licet olim adulterij crimen capite puniretur, hodie tamen in muliere hoc immutatum est. Neq; enim de ea sumitur supplicium, sed in monasterium prius uerberata detruditur. Prolixior fortaße fui, quàm par erat. Sed iucundum mihi interim fuit in argumento ad principale meum studium pertinente diutius immorari. Nunc ad rem redeamus.

Hunc perminxerunt) hunc. supple latitantem. In tales autem permictores scripta erat lex scatinia. Porrò hic Calones ponuntur pro uilißimo seruorum genere ad maiorem ignominiam, cum propriè militum ministri sint.

Prædonum) hic prædonum pro nocturnis furibus, & ijs qui uestibus obuios spoliant. Græcè dicuntur λωποδύται.

quidam demeteret) quidam maritus demeteret, amputaret, à messoribus ducta metaphora.

Galba negabat) quia matronarum sectator erat, & obiter Galbam perstringit.

Tutior at quanto merx est in classe secūda
Libertinarum dico, Sallustius in quas
Non minus insanit, quàm qui mœchatur. at hic si
Quà res, quà ratio suaderet: quaq; modestè

C.iij. Mu-

Munificum esse licet, vellet bonus atq; benignus
esse, daret quantũ satis esset: nec sibi dãno
Dedecoriq; foret. verũm hoc se amplectatur vno,
Hoc amat, hoc laudat, matronam nullam ego tango.

Tutior) *significat allegoricè, tutius quidem esse libertinas amare. Sed tamen propemodum æque peccare, qui studiosius quàm oportet sectantur. quod docet exemplo Salustij historiographi, qui libertinas impotentius appetibat.*

merx) *mercem dixit allegoricè pro amore, à re familiari uendibiliq; ducta metaphora.*

Sallustius in quas) *infamem Sallustij in libertinas amorem notat. Verisimile est autem cum hæc Horatius scriberet Sallustium fuisse mortuum. erat enim Horatio familiaris & amicus, ut satis apparet ex illa Ode quæ incipit, nullus argento. &c. nisi mauis dicere poëtam nostrum soli uirtuti amicum fuisse.*

damno) *nam domum uiuente patre turpißimè uenalem habuit.*

Dedecoriq;) *Cicero in Sallu. Itaq; timẽs ne facinora eius clam uos essent, quum omnibus matribus familiarum opprobrio esset, confessus fuit uobis audientibus adulterium, nec erubuit ora uestra.*

Hoc amat) *quasi continuò sequatur, eum qui matronarum concubitu abstinet, uirum bonum esse ac non*

oporteat

oporteat etiam libertinas contemnere.

Matronam) *matrona dicitur quæ cum marito in manũ conuenit.* Hoc loco *ponitur pro nobiliore fœmina.*

Vt quondã Marsæus amator Originis, ille
Qui patriũ mimæ donat fundumq́ larẽq́
Nil fuerit mi, inquit, cum vxoribus vnquã alienis.
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, vnde
Fama malum grauius, quàm res trahit. an tibi abunde
Personam satis est, non illud quicqd vbiq́
Officit euitare? bonam deperdere famam
Rem patris oblimare malum est vbicunq́, quid inter-
Est in matrona, ancilla, peccósve togata?

Vt quondam) *pendet adhuc à superioribus.* Dicit *enim* Salustium *sic se excusare solitum, quemadmodum se* Marsæus *excusabat.* Commemorat *autem tres diuerso quidem morbo laborãtes, æquè tamen stultos omnes.* Primum Cupennium *qui solùm matronas ardebat, & sub eius persona docet omnes nobiliorum sectatores innumeris exponi difficultatibus.* Secundo Salustium *libertinarum amatorẽ, quem contrario quidem, sed æquè tamen turpi uitio obnoxium fuisse dicit.* Vltimo loco *Marsæum, qui tantummodo meretricibus delectabatur. ex quibus exemplis uult inferre, non satis esse unum fu*

gere uitium, nisi ab omnibus abstineamus, neq; referre utrum in matrona, an ancilla, an meretrice peccemus, quandoquidem ipsum peccare semper in se malum est. ille) ille, emphasim habet, quasi dicat, ille notißimus Marsæus.

Verùm est) stultam Marsæi persuasionem amolitur & hoc cum acerba obiurgatione.

Vnde fama) id est, ex quarum amore & rei & famæ magna oritur iactura, sed maior tamen famæ.

An tibi abunde) sic in satyra.3. libri.2.

„ Quisnam igitur sanus? qui non stultus. quid auarus?
„ Stultus & insanus. quid si quis non sit auarus,
„ Continuò sanus? minimè. cur stoice? dicam. Vide locum & in ultima epistola libri.2.
„ Non es auarus? abi. quid cætera, num simul isto
„ Cum uitio fugere?   Et paulò post.
„ Quid te exempta iuuat spinis de pluribus una?

Quid interest) loquitur ex opinione stoicorũ, qui dicunt peccata omnia esse paria, contra quos aliquando etiam disputat, ut in sequenti sermone. Cicero.3. paradoxo. Id in quo peccatur, potest esse aliud alio grauius. Ipsum tamen peccare quoquo te uerteris unum est Lapsa est libido in muliere ignota. dolor ad pauciores pertinet, quàm si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili uirgine. Peccauit uerò nihilominus.

„ Villius in fausta Syllæ gener, hoc miser uno
„ Nomine deceptus, pœnas dedit usque superque
„ Quàm satis est, pugnis cæsus ferroque petitus,

Exclusus

Exclusus fore, cũ Longarenus foret intus. „

Villius) cùm uideret poëta sui seculi homines ita corrupto esse ingenio, ut existimarent ex concubitu nobiliorum fœminarum plus capi uoluptatis, stultißimamq; illam persuasionem latè plurimorum animos occupasse: reliquam huius satyræ partem absoluit in eorum detestationem, qui toti sunt in corrumpendis illustrioribus matronis. Variant autem hoc loco interpretes. mihi uidetur optimum Villium & Longarenum accipere pro duobus riualibus, ut Villius hic dicatur Syllæ gener, non quòd reuera unquam fuerit, sed quòd toties cum Fausta consueuisset, ut gener dici posset. Si uerò Villium accipias pro Milone, ut aliqui uolunt, intelligendum est non ambiendas esse magnas ac nobiles uxores, sed qualescunq; sufficere etiã ex media plebe. Generosas enim & peccare audacius, & maritos aduersus eas ne hiscere quidem audere. Sed hoc nescio quo pacto non uidetur cum Horatij mente congruere, qui non loquitur de capiendis uxoribus, sed sectandis mulieribus. Hic Acron seipsum intelligere non uidetur, adeo intricatus est.

Huic si Mutonis v̄bis, mala tanta videntis „

Diceret hæc animus: quid vis tibi? nunquid ego abs te „

Magno prognatũ deposco cõsule cunnum „

Velatumq́; stola, mea cum conferbuit ira? „

Quid responderet? magno patre nata puella est, „

 At quã

»» At quãto meliora monet, pugnãtiaq; istis
»» Diues opis natura suæ, tu si modo rectè
»» Dispensare velis, ac nõ fugienda petendis
»» Immiscere? Tuo vitio rerumq; labores
»» Nil referre putas? quare ne pœniteat te,
»» Desine matronas sectarier, vnde laboris
»» Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.

Huic si) *Si loqui potuisset muto, dixisset Villio, noli sic in quærendis mulieribus laborare, cùm ego qualiscunq; contentus sim.*

magno patre) *id est, scio Villium, ut est corruptissimus, sic esse responsurum.*

At quanto meliora monet) *dicit naturam quauis muliere contentam, nosq; non naturæ sed nostro uitio peccare, si unam alia potiorem putemus. Sed quid monet & quæ sunt illa potiora? nobiles scilicet puellas nihil amplius habere, quàm plebeias, neq; illas studiosius quàm hæc sectandas.*

Pugnantiaq; istis) *istis, supple, prauis cõcupiscentijs, quæ te sic occæcant, ut tibi suauior in filia consulis, quàm idiotæ alicuius, uoluptas esse uideatur.*

Diues opis) *diues est natura, quia multas producit fœminas, etiam quibus sine periculo frui poßimus. Diues autem, si modo ipsius munera intelligeremus, & ea rectè dispensaremus, nec in tam angustum locum coarctaremus, ac non omnia sic confunderemus. Sed nostra*

culpa fit

culpa sit, at inops esse uideatur.

Immiscere) *malim ponere interrogationem post immiscere, quàm post suæ, quia ista* (si modo rectè) *sunt ueluti explicatio, & quodammodo correctio eius, quod dixerat diuitem esse naturam, ut sit, ita demum diues, si non naturæ bonitatem confundas. in uerbo autem hoc,* Tuo, *nouæ quidem sententiæ principium est, sed pendentis tamen adhuc à superiore: & ita explicandum est, nihil autem putas interesse inter ea uitia quæ animi petulantia designas, & inter ea quæ ex rerum penuria perpetras? alij aliter distinguunt. Sed mea coniectura uerior esse uidetur.*

Quare ne pœniteat) *te, supple, libertinæ. concludit autem à periculo, & à nullo fructu uitandas esse matronas.*

„ Nec magis huic inter niueos, viridesq́ lapillos,
„ (Sit licet hoc Chærinte puer) tenerum est femur, aut crus
„ Rectius: atq́ etiam melius persæpe togatæ,
„ Adde huc, quòd mercem sine fucis gestat: apertè
„ Quod venale habet ostēdit: nec si quid honesti est,
„ Iactat, habetq́ palam, quærit quo turpia celet.

Nec magis) *Posteaquàm docuisset & periculosum & inuti-*

& inutile esse, matronas tantopere sectari, addit etiam eas ut plurimum esse plebeis deformiores. & ita uehementer eos errare, qui solas depereunt matronas.

Huic) scilicet matronæ.

Sit licet hoc) Apostrophe in puerũ meritorium de forma sibi placentem. & est sensus, licet ô Charinte inter uniones tuos crura tenera tibi habere uidearis. Est autem nasus satyricus. & intellige, licet tuum hoc crus sit tenerũ opinione tua scilicet, ut, hoc, sit δεικτικῶς prolatum. Alij hoc pro simili exponunt, nec parenthesin faciunt.

Adde huc) exponit quod ante dixerat sæpe melius esse crus Togatarum. & ita togatam cum matrona componit, ut etiam longè anteferat. De fucis mulierum sic Ouidius in fine primi de remedio.

„ Proderit & subitò cùm se non finxerit ulli,
„ Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
„ Auferimur cultu gemmis auroq; teguntur
„ Omnia. pars minima est ipsa puella sui.

& paulò post.

„ Pixidas inuenias, & rerum mille colores.
„ Et fluere in tepidos æsopa lapsa sinus.

„ Regibus hic mos est, vbi equos mercantur, apertos
„ Inspiciunt: ne si facies, vt sæpe, decora
„ Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem,

Quòd

Quòd pulchræ clunes, breue quod caput, ardua ceruix. ,,,
Hoc illi rectè, ne corporis optima lynceis ,,,
Contemplere oculis, Hypsea cæcior, illa ,,,
Quæ mala sunt spectes, ô crus, ô brachia. verum ,,,
Depygis, nasuta, breui latere, ac pede longo est. ,,,
Matronæ preter faciem nil cernere possis, ,,,
Cætera, ni Catia est, demissa veste tegẽtis. ,,,

Regibus) *quia dixerat matronam occulere, si quid habet turpe, & ostentare tantum pulchra: idcirco nunc monet, ut, ne nobis illæ imponant, non formam tantùm spectemus, sed etiam uitia cõsideremus, omninoq; idem faciamus, quod equorum emptores, qui totos contemplantur. Argumentatur autem ueluti à minori ad maius. si tam diligentes illi sunt in re non usq; adeo sanè pretiosa, in delectu fœminarum dormitabimus?*

Apertos) *alij legunt* opertos, *ut sit sensus, equos ab emptoribus tectos inspici solere, ne si ad solã faciem attenderent, pedum nullam rationem haberent. & hoc exemplo monet, ne matronarum faciem, quæ sola apparet quæq; tota fucata est, tantùm intueamur. Si legis* apertos, *dic exemplo mercatorum, qui totum equum contemplantur, itidem mulieres totas inspiciendas, non unam aliquam corporis partem.*

Molli) *hic,* molli, *pro uitioso, fragili, & imbecilliori. Aliter*

ori. Aliter apud Vergil. & mollia crura reponit. Na equina ungula debet esse dura: sed mollia & flexibil crura laudantur.

Pulchræ clunes) miro laconismo equorum pulchritudinem expreßit. Sic Vergilius in tertio Georg.

» ardua ceruix,

» Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga.

& ab ea facie formaq; metuunt sibi emptores.

Hoc illi recte) & proinde eos in amandis mulieribus imitare.

Hypsæa cæcior) Vide Chiliades simili forma dicitur, Talpa cæcior.

ô crus.) Stulti amatoris exclamatio ad fucatiorem tantum corporis partem attendentis.

Lyceis) aliqui lyncis legũt. aliqui lyncei. & Erasmus in Adagijs pro eo quod habemus contemplare legit contemplans.

Matronę) cõcludit quod ante dixerat. quęrit quo turpia cælet. Sunt qui nouam hic sententiam faciãt. Alij malunt nouam sententiã facere in sequenti uersu. Si interdicta) & melius meo quidem iudicio.

ne corporis optima) Ouidius.

» Quàm potes in peius dotes deflecte puellæ. Idem.

» Profuit aßidue uitijs insistere amicæ.

ni Catia est) Catiam notat ab effronti impudentia. non fuit autem libertina, sed matrona, quãuis impudica.

» Si interdicta petes, vallo circundata, (nã te

Hoc fa-

Hoc facit insanum) multæ tibi tum offi- ,,,
cient res:
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ, ,,,
Ad talos toga demissa, & circundata palla ,,,
Plurima: quæ inuideant purè apparere ti- ,,,
bi rem.
Altera nil obstat. Cois tibi pene videre est ,,,
Vt nudã, ne crure malo, ne sit pede turpi. ,,,
Metiri possis oculo latus, an tibi mauis ,,,
Insidias fieri, pretiumq́ auellier, ante ,,,
Quàm mercem ostendis —

Si interdicta) *Pergit exequi latius, quod dixerat in matrona præter faciẽ nihil cerni posse, enumeratq́; plurima obstacula, per quæ fit, ut matronam non posimus totam contemplari, uelut aliquam è media plæbe. & inde rursus euincere conatur, stultissimos esse, qui & pulchriorẽ & faciliorẽ contemnunt.* interdicta, *subaudi membra, id est, quòd si autem secretiores corporis partes inspicere uis ne decipiaris, non queas.*

Vallo) *Vestium scilicet, à re bellica locisq; munitionibus sumpta metaphora.*

Nam te hoc facit) *nam, ut inquit* Ouid. *in.3.amo.*

Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata. ,,
Sic interdictis imminet æger aquis. Item. ,,
Quæ uenit ex facili, minus est accepta uoluptas. ,,
& Ausonius:
Hanc uolo quæ non uult, illam quæ uult ego nolo. ,,

Pluri-

Plurima) *alij post* plurima *distinctionem faciunt ut sit nominatiuus singularis. alij post* palla *punctum ponunt, ut sit,* plurimaq; alia, *uel* quę plurima.

Altera) *nulla, inquit, talia incommoda libertinam sectanti, & plebeia contento.*

Cois) *Vestimenta coa similia erant cum ijs quæ mulieres hodie creppas uocant.* De cois *Martialis sic,*

„ *Fœmineum lucet sic per bombycina corpus.*

An tibi mauis) *obiurgatio poëtæ in talem amatorem per indignationem & interrogationem.*

„ – Leporem venator vt alta
„ In naue sectatur, positum sic tangere nolit,
„ Cantat & apponit, meus est amor huic similis, nam
„ Transuolat in medio posita, & fugientia captat.
„ Hiscine versiculis speras tibi posse labores,
„ Atq; æstus, curasq; graues è pectore pelli?
„ Nonne cupidinibus statuit natura modũ, quem,
„ Quid latura, sibi quid sit dolitura negatũ,
„ Quærere plus prodest, & inane abscindere soldo?

Leporem) *adfert similitudinem, qua matronarum amatores propositum suum excusant, & in persequendo difficultatem defendunt.*

Positum

Positum sic) *uel in mensa positum, uel imbellem, nec fugientem. dicitur autem illud, sic, δεικτικῶς.*

Transuolat) *Sic in prouerbijs Salomonis, aquæ furtiuæ suauiores sunt. & apud Ouidium.*

Quod sequitur fugio, quod fugit, ipse sequor.

Hiscine versiculis) *cum indignatione respondet talibus cantilenis non sedari curas animi.*

æstus curasq́ue) *rectè duo ista coniunxit nihil enim est amore ardentius solicitiusq́ue, ut apud Vergilium.*

Vritur infœlix Dido, totaq́ue uagatur
Vrbe furens.

Nonne cupidinibus) *dicit amores melius quàm per cantica sedatum iri, si diligenter apud nos excuteremus naturæ necessitatem, quoq́ue illa commodè carere posit, & quo rursus non posit. ostēdit autem naturam facilè tolerare denegatam matronam, sed fortassis dolituram si ei omnē fœminæ usum prorsus adimas. Vir bonus ut dolet sibi denegari absq́ue quibus uitam fouere nequeat: ita patienter fert si careat quibus nō indiget.*

& inane) *Allegoricè uocat inane quo facile carere liceat, & solidum quod semper necessarium est.*

Num tibi cū fauces vrit sitis, aurea quæris
Pocula? num esuriēs fastidis omnia, prę́ter
Pauonem, Rhombumq́ue? tument tibi cūm inguina, num si
Ancilla, aut verna est præsto puer, impetus in quem

„ Continuò fiat, malis tentigine rumpi?
„ Non ego, nanq; pacabilem amo Venerem, facilemq;.
„ Illam: post paulò, sed pluris, si exierit vir,
„ Gallis: hanc Philodemus ait, sibi quæ neq; magno
„ Stet precio, neque cunctetur, cùm est iussa venire.

Num tibi) *A simili turpiter quidem, sed uerè argumentatur in quacunq; muliere, siue illa nobilis sit, siue ignobilis, libidinem expleri posse. Proinde nõ tam anxiè erga matronas inardescendum.*

Pauonem Rhombumq;) *ista duo ponit Horatius ferè pro cibis delicatis, ut satyra. 2. libri secundi.*

Illam: post paulo, sed pluris, si exierit vir, gallis:) *ista distingue contra omnia quæ sunt exemplaria. Eleganter autem imitatur uerba matronæ meretriciæ difficilem se præbentis. De hac re uide Ouidium in tertio de arte, ubi talia præcepta puellis de difficultate præbet.*

„ Candida, rectaq; sit, munda hactenus, vt neq; longa,
„ Nec magis alba velit, q̃ det natura videri.
„ Hęc vbi supposuit dextro corp9 mihi lęuũ,
„ Ilia, & Aegeria est, do nomẽ quodlibet illi.
„ Nec vereor, ne, dũ futuo, vir rure recurrat,

Ianua

Ianua frāgatur, latret canis, vndiq; magno "
Pulsa domus resonet, vepallida lecto "
Desiliat mulier, miseram se cōscia clamet, "
Cruribus hæc metuat, dóti deprehensa, egomet mi. "
Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo, "
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama. "
Deprendi miserum est, Fabio vel iudice vincam. "

Candida) *docet qualē uelit amare, & interim ostendit qualis sufficiat.*

Ilia & Aegeria) *id est, imaginor illam Ilia & Aegeria nobiliorem.*

Nec vereor) *describit appositißimè per hypotyposin pericula eorum, qui alienas nuptias solicitant. & per ista conuincit stultos esse, qui tantum malorum deuorare malunt, quàm absq; periculo frui togatis. Est autem optima satyræ conclusio.*

Vepallida) *dicitur uepallida sicut uecors, ut ue intensionem significet. Alij legunt,* vel pallida.

Miseram) *Porphyrio ad ancillam rettulit, & rectè quæ cōscia herilis peccati metuit cruribus suis, & hora*

Doti depræhensa) *Quamuis non liceat marito uxorem adulterantem impune interficere, ut superius*

 diximus,

diximus, potest tamen eam impune [a] repudiare, neq; ad restituendam dotem [b] compellendus est. Hanc enim retinet ob summam, quam ab uxore sua affectus est contumeliã. Si quidem alicubi scripsit Sceuola [c] longè maiorem fieri marito iniuria uxorem eius adulterando q̃ proprium filium interficiendo. & certè quòd maritus in casum adulterij dotem lucretur, non solum legibus 12. tabularum, sed etiam [d] Iurisconsultorum responsis & sacris imperatorum constitutionibus cautum fuit. Cùm enim dicat Sceuola, mulierem, quæ uiri lenocinio adulterata fuit, dotem non amittere, nonne argumento à contrario sensu ducto satis apertè ostendit, eam quæ marito non lenocinante talem turpitudinem commisit, minimum dotem perdere? Sed quemadmodum marito adulteram uxorem repudiare concessum est, utrũ mulieri quoq; maritum ob adulterium dimittere licet? & licere [e] à rationis paritate responsum est. Imò sicut uir dotem retinet, ita mulier quoque donationem propter nuptias lucratur, ne alteri liceat, [f] quod alteri denegatum sit.

Depræhendi miserum) *& ut nihil, inquit, immineat periculi deprehenso, miserrimum tamen est deprehendi, uel Fabio iudice. Notat autem Fabium ab adulterijs in quibus sæpe fuerat deprehensus, quemadmodum & in fine .1. satyræ à garrulitate eum notauit.*

FINIS
Satyræ secundæ.

PARA

PHRASIS IN PRIMAM *Satyram eodem Iuliano Aurelio autore.*



VNDENAM HOC FIERI dicemus, Mecœnas, quám ue tantæ huius instabilitatis caussam adferemus, vt viuat ea sorte cõtentus nemo, quam vel ratione longaq; consultatione sibi elegerit, vel fortuna casusq; aliquis ei obtruserit: ac potius alienæ semper vitæ institutũ probet, quàm suæ: Nam milites, postquã ætate iam confecti sunt, nec exhaustis viribus militares labores amplius tolerare possunt, longè beatiorem prædicant mercatorum conditionem, vt quibus in integro corpore vires integræ vsq; ad vltimum vitę diem suppeditent. Contrà verò mercatores cùm exortis in mari sæuissimis tempestatibus, modò huc modò illuc arbitrio fluctuum iactantur, clamant milites vel hoc nomine esse se feliciores, quòd ipsorum certamina, non, quemadmodum mercatorum pericu-

la, lõga ſint ac diuturna, ſed breuia & pluſ-quam momentanea. Quin & Iuriſconſulti, licet certatim ab omnibus beati exiſtimentur, in eadem tamen inconſtantiæ naui vehuntur. Nam cùm ſub auroram à clientulis vexantur: ægreferentes abrumpi ſibi ſomnum, agricolas fortunatiores appellant, quippe quibus extra ſtrepitum popularē verſantibus, liceat quietam ſaltem noctem tranſigere. Rurſus litigatores illi qui rure habitant, quoties eos ex agris in vrbem venire oportet, vt quos in re capitali pro ſe ſponſores dederunt liberent: clamant feliciores eſſe, qui degũt in vrbibus. Sed quid ego immoror in vno atq; altero exemplo recenſendo, cùm huius inconſtantiæ genera adeo ſint multa, vt vel Fabius homo ſtoicus extremæ loquacitatis his enumerãdis delaſſari poſſit. Ne diutius igitur, ô Mecœnas, his velut ambagibus te ſuſpenſum teneam, audi quorſum iſta vergant. Eò enim ſpectant, de ſuis profeſſionibus omnes quidem conqueri, neminem tamen inueniri poſſe, qui, vt maxime liceat eas velit deſerere. Nam ſi de9 aliquis ipſis diceret: En faciam q̃d optatis, tu, qui modò

miles

miles eras, mutato vitę genere fies mercator, & tu qui eras aduocatus, eris rusticus. Discedite hinc assecuti iam quod cupiebatis, neq; mihi amplius molesti sitis: Si quis, inquam, deus hanc istis proponeret optionem, non acciperent. Atqui si alios beatiores se verè & ex animo credebant, licet & ipsis nunc huiusmodi oblata optione beatis esse. Cùm igitur ipsa luce clarius sit, istã votorum ineptitudinem nõ aliunde, quàm à quadam iudicij prauitate originem trahere, quis tales dignos non existimet, quibus sic irascatur Iupiter, vt quum id quod vsqueadeo exoptabant oblatum respuerint, nunquam in posterum preces eorum admittat? Verum enimuero, ne, quemadmodum qui res ioculares narrant, ridendo verum percurram (quanquam ridendo potest etiam verum dici. Imò sæpe ridicula quædam admiscenda sunt, vt his velut illecebris delinitus auditor acerba audire non detractet: penitusq; in satyris scribendis nos ille pædagogorum imitandus est, qui pueros crustulis, potius, quàm asperitate ad literarum amorem alliciunt) Sed ne tamen iocularia serijs rebus immiscere vi-

dear, seriò nunc agamus. Agricolæ, caupo nes, nautæ, cæteriq́ id genus homines siro gentur, quam ob rem tot tantosq́ labores ac difficultates subeant, respondebunt ho nesto titulo insatiabilē suam cupiditatem velantes, vt in senectutem viaticū sibi com parent, cùm tamen quæ ad uitam toleran= dam necessaria sunt, iam congesserint. Quin dicent etiam, vt omni auaritiæ suspi tione vacent, exemplo se formicæ talia fa= cere, quæ licet exigua quidem sit corpore, magno tamen atque admirando labore venturam hyemem præsentiens, æstate grana cumulat, quibus postea fruatur. Optimum quidem exemplum, ô auare, sed longè ab instituto tuo diuersum. Nam for= mica æstate tantum laborat, hyeme nusquā ex antro suo prorepit, viuitq́ interim pau= culis illis ante congregatis granis conten= ta. At tu & æstate & hyeme per ignem per aquam per ferrum incessanter lucro inhias nullumq́, vt omnes diuitijs anteuertas, vi= tæ discrimen reformidas. Libenter autem abs te petiuerim, auare, cum tanto studio pecuniā quæras, quid te iuuet eadem pecu nia non vti, sed defossam seruare? Quòd si mihi

mihi dicis, idcirco te eã defodere ne consu-matur, vicissim interrogabo te, quid diui-tiæ cum non sint nisi propter vsum expeten-dæ, pulchri habeant, si eis non vtaris, sed in arca clausas adserues? Esto centies centena milia modium frumenti quotannis colli-gas, non tamen idcirco venter tuus plus ca-piet quàm meus, qui exiguas facultates ha-beo. & quemadmodum inter venales pue-ros nõ plus accipit, qui panes humeris por-tat, quàm qui vacuus ambulat: Sic ego, cũ natura paucis contẽta sit, tam facile ex acer-uulo meo saturabor, quam tu ex ingẽtibus tuis granariis. Quæ cum ita sint, quid quæ-so refert centum an mille iugera possideam, si mihi placet intra fines naturæ viue-re? Sed suaue esse dices ex grandi aceruo sumere. Verùm si mihi concedis, tantum hauriri posse ex paruo cumulo, quantũ ex magno: atq; similiter sufficere naturæ par-uum atq; magnum aceruũ: cur potius ingẽ-tia tua granaria laudes, quàm exiguas no-stras cumeras? Sanè quemadmodum illos arbitror plusquam dementes, qui, cum ha-beant opus tantùm aquæ calice, malunt ex magno flumine, quàm ex fonticulo hauri-

illo, sed auaro manifestius videre liceat. Quamuis enim diceret à populo ob tenacitatem suam solitum se exibilari, cæterum spretis illis obloquijs, quotiescũq; nummis arcas suas refertas intueretur, domi sibi soli plaudere. non idcirco tamen non miser fuit. Imò si quid iudico & miserrimus fuit, & eius vnius exemplo docemur, non continuè sequi, quod auari nobis imprimis obijciunt, vt quisque pecuniosissimus est, ita eũ quàm maximè ab omnibus & coli & honorari. Fabulantur quidem poëtæ Tantalum quia Penelopem filiũ dijs epulandum apposuerat, pœna hac apud inferos vrgeri, vt licet in medijs aquis adusq; humeros constitutus fingatur, siti tamẽ enecetur. Quid rides, ô auare. Certè mutato tantum nomine narratur de te fabula. Maximè enim hęc imago tibi conuenit, vt qui in summa rerum abundantia, diuitijs tuis non modo nõ audeas vti, sed præ solicitudine ne quid amittas, ne latum quidem culmum ab eis abesse sustineas. Atqui si eam tibi induisti persuasionem, vt nefas esse existimes, pecuniam tanquam rem sacram in vsus vitæ necessarios conuertere, eamq; tibi in hoc tan-
tum

tummodo datam arbitraris, vt in modum picturæ oculos nō corpus pascat, næ tu plane desipis, omniumq́ mortaliū es longè infelicissimus. Age verò quandoquidem videris ignorare verum pecuniarū vsum, te docebo. Datæ sunt illę nobis, vt panem, vinum, olus, cæteraq́ id genus alia, sine quibus humana vita transigi non queat, coëmamus. An semper solicitum esse, ne ędes nostræ comburantur, ne nos fures ac serui fugientes compilent, tibi miserrimum esse non videtur? Et quidem longè prætulerim talibus bonis quæ tantum adferunt secum cruciatum, carere, quàm abundare. Rursum instabit mihi auarus, diceretq́ diuitias tametsi absq́ magna cura non custodiūtur, habere tamen non paucas in se vtilitates, ob quas meritò expeti debeant. Namq́ locupletem hominem, si forte morbum è frigore aut ex alio aliquo casu contraxerit, facile inuenire, qui decumbenti assistāt, quiq́ ad medicum adeant, & breuiter qui nihil non agant, vt ipse pristinæ restituatur valetudini. omnibus autem istis auxilijs inopē atq́ egenum destitui. Erras verò miser, qui hoc tibi persuaseris. Nemo enim optat, vt

conua-

conualeſcas: non vxor, non liberi, quibus ob auaritiam nimium iniquus ac durus fuiſti. Imo omnes & noti & ignoti, & pueri & puellæ ob mores iſtos tuos adeo ſordidos te oderunt, tantum abeſt, vt conualeſcentiam tuam votis exoptent. Miraris autem cum neminem ames, ſed ſolum tuum argētum, ſi ā nemine viciſſim ameris? Imò verò mirandum potius eſſet, ſi quiſquam te diligeret. Quod ſi arbitraris cognatos à natura tibi nullo tuo labore, ſed gratis datos, poſſe te etiam ſine aliquo beneficio in amicitia retinere, non ſecus perdis operam, atque qui docet aſinum ſub frenis currere. Ergo cum amplæ diuitiæ non modo non alijs nos gratos, verum etiam inuitos efficiant, augendis tuis cenſibus, tandem aliquando, ô auare, finem aliquem præſcribe: cumq́ꝫ diuitias tuas ſemel auxeris, minus paupertatem formides: & finem tandem accipiat labor tuus, cum tantas opes acquiſiueris, quantas antea ſolebas optare, neqꝫ facias quod Vuidius quidam, quem quidē conſtat fuiſſe adeo diuitem, vt nūmos poſſet menſurare, ſed tamen tam auarum, vt nunquam veſtes haberet, quām famulus,

ſumptuo-

quiſ cum auaritiam deteſtor, ab eaq́ꝫ te auocare ſtudeo, non laudo profuſam & perditam luxuriam. Eſt enim inter extrema hæc duo, quæ iuxta vitioſa ſunt, medium quiddam, nempe liberalitas: ſicut inter Tanaim tuum libertum, ô Mœcenas, ſpadonem nobilem, & ſocerum Viſellij hernioſum & ramicoſum hominem. Proinde nil melius q̃ omnibus in rebus modum adhibere & mediocritatem ſeruare. Nam ſi quid ei aut adijcere aut detrahere velis, id ſine vitio non erit. Sed iamdudum tempus eſt, vt huic ſatyræ finem imponamus, atq́ꝫ illuc vnde digreſſi ſumus, redeamus: Initio quidem dicere cœperamus, neminem ſortẽ ſuam approbare. quod ſanè adeo falſum non eſt, vt id de omni genere hominum præter ſolos auaros veriſſimè dici poſſit. Soli enim illi propoſitũ ſuum non modò non optant mutare, ſed etiam in hoc ſibi plurimũ placent quòd auari ſint. Qui fit autem, vt reliq' ſe perinde non probent, ac potius vnuſquiſque laudet alienum inſtitutum, rebuſq́ꝫ vicinorum ſecundioribus inuideat, neq́ꝫ ſe velit quiſquam cum pauperioribus comparare, ſed magis omnes præcedentes vincere

laboret?

laboret? Certè si quis penitius consideret, totum illud non aliunde, quàm à nostra instabilitate & inconstantia fluere comperiet. Atqui si fixius paulò nobiscum perpenderemus, quantam pauperiorum turbam post nos reliquerimus, potius quàm quanta ditiorũ multitudo nos antecedat: haud dubie quietius tranquilliusq; viueremus, multisq; rationibus prædicandam potius quàm deplorandam conditionem nostram discerernus. alioqui si hunc primum, postea illum, deinde alium diuitijs superare cõtẽderimus, hoc est, si laboribus nostris efficere voluerimus, vt omnium simus ditissimi, quis tandem accumulandi futurus erit finis? Nemo enim adeo opulentus est, vt non eo multi facile reperiantur opulentiores. Sunt autem huiusmodi homines in hippodromio certantibus similes. Vt enim istis præcedentes quadrigas curru euertere vnicum est studium, quas autem longo interuallo præterierunt, negligunt: sic auari tanta congregandæ pecuniæ cupiditate feruntur, vt nihil dies noctesq; aliud cogitent, nisi quemadmodum locupletiores se, à tergo relinquant. Quocirca

circa cupiditas illa in rationis gyrum contrahenda est. Nam ex eo quod nemo suis fortunis contentus est, sed amplius semper habere concupiscit, fit, vt nullus se feliciter vixisse dicat, quiq; in extrema senectute ita libenter è vita cedat, vt conuiua qui bene acceptus satur ex conuiuio discedit. Sed modum de auaris dicēdi statuam, neq; vllum amplius addam verbū, ne me putes quæ dico surripuise è commentarijs Crispini Stoici, philosophi loquacissimi.

PARAPHRASIS IN *secundam satyram.*



IX CREDIBILE DICTV fuerit, quantum ex morte Tigellij cātoris meretriculæ, perditissimi quiq; nebulones dolorem acceperint. Quippe erat erga tale genus hominum admodum liberalis; quod sanè non vsq; adeo vituperandum esset, si eādem ille benignitatem aduersum inopes amicos & viros bonos exercuisset. Sed erga huiusmodi adeo parcus fuit, vt illis ne teruntium quidem dederit vnquā, quo frigus &

gus & famem propulſarent, ſcilicet metuebat ne diceretur prodigus. Quòd ſi quis eum interrogaſſet, cum amplum ſuum patrimonium tam turpiter dilapidaret, & vndiq; nummos, quos eſſet paulo poſt in gulam cõſumpturus, à fœneratoribus cogere & velut conducere non deſiſteret: reſpondebat hoc ideo facere ſe, ne parcus & ſordidus haberetur. & erunt improbi homines, quibus hoc eius factum laudabitur, quemadmodum & non dubito futuros viros bonos qui repræhendent. Vide quãm ille peccabat. Dabat indignis ne tenax diceretur, & dignis non dabat, ne prodigus appellaretur. Quæſo quid aliud hoc erat quàm vitare quidem Charybdim, ſed in ſcyllam periculoſius monſtrum incidere? Et hoc quidem vitio laborabat Tigellius. Contrà, Fuſidius diuerſo tenetur. Nam is, licet agrorũ [illegible]nerati auri ditiſſimus ſit, tamen ne fa[illegible]tes ſuas imminere non augere videa[illegible] proinde homo nullius induſtriæ ha[illegible]atur; tam auidus eſt lucri, vt modo habeat vſuram qui nam centeſimam, audeat etiam adoleſcentibus, qui adhuc in patria ſunt poteſtate, mutuam pecuniam crede-

re, lu-

re,lucrumq́ tantũmodo,non exigendi pe-
riculum aſpiciat,quam auaritiam adeo prę
cipitem cum quis audiuerit,quis tam pati
ens eſt,vt Iouem vltorem non inuocet? Sed
inquies,queadmodum ingentem facit quæ
ſtũ,ita fortaſſis honeſtiſſimè ſe tractat. Imò
verò vix credas quàm parcè ac duriter victi
tet,quamq́ ſuum defraudet genium. Nam
non aliter ſe cruciat,atq; ſenex ille Menede
mus apud comicum. Quod ſi quis quærat,
quorſum hæc tam multa ſpectent, cũr ue
tam contrarios atq; pugnantes inter ſe mo
res introduxerim,intelligat, oſtendere vel
le me,ſtultos,dum vitia aliqua volunt eui-
tare,ſæpenumero in contraria præcipites
ruere:frequenterq́ vſu venire,vt,dum pro
digi nomen exhorreſcimus,in auaritiæ cri-
men incurramus,neminemq́ hodie in me-
dio conſiſtere. Siquidem nonnullos ita de-
licatos videas ac molles,vt veſtibus vti [illegible]
lint,niſi quæ ſint ad talos vſq; demiſſæ. [illegible]
verò ſibi videri mirè facetos,ſi veſtes [illegible]
res & quæ vix nates tegant,habeant. Sunt
qui paſtillos,& vnguenta,ſunt qui hircum
redoleant. Cõſpicias & aliquos plus nimio
munditias affectare, aliquos verò nullam

 prorſus

prorsus corporis sui curã habere, & vt verbo vno expediam, nullã vbiq; reperias mediocritatẽ. Sunt enim qui nisi cũ nobilioribus rẽ habere nolint: sunt contrà, qui meretricibus magis delectentur. Cato cum vidisset nobilem adulescentẽ sibi apprime notum ẽ lupanari exeuntem, dicitur eum laudasse, non quòd factum probaret, sed quòd longè tolerabilius hoc esse cẽseret, q̃ genialem alterius thorũ contaminare. Cupẽnius autẽ isto nolit laudari modo, quippe qui solos matronarũ concubitus sectetur. Sed quando forte fortuna in Cupennij adulteri mentionẽ incidimus, non modicũ operęprecium fuerit, vt vos qui iure mœchos odio prosequimini, audiatis, quantis illi incõmoditatibus affligantur, quamq; raro illis plena voluptas contingat, & vt interdum contingat, quot periculis interim ematur. Nã hic ne depræhendatur, è tecto se pręcipitat: ille deprehensus, ad mortẽ vsq; flagris cæditur: alius dum fugit ne depræhendatur, à prædonibus spoliatur: nonnulli ne castrentur, pecunia pœnam redimũt. Quin etiam hoc sæpenumero contigit, vt mariti nulla pecunia placari potuerint, sed depræhensis

testes

testes amputauerint. quod quidem iure factum dicebant omnes præter vnum Galbam, qui quia & ipse adulter erat, adulterij pœnã, pecuniariam esse debere contendebat. Quanto autem tutius est libertinas sectari, quę & minori sumptu parãtur, & nullis omnino periculis retinentur? Sed has quoq; siquis propẽsius ac studiosius quàm par est appetat, iure etiã infamis habeatur. Nam Salustius idcirco tantum senatu motus est, quòd se libertinarũ non matronarũ amatorẽ fateri non erubuisset. Ex quibus satis conuincitur neutrũ laudabile, nec matronarum pudicitiam attentare, nec libertinas ardentius exoptare. Quòd si Salustius voluisset erga libertinas benignus ac liberalis esse, quatenus & patrimoniũ permittebat, & ratio suadebat, nec munificentiæ modum excedere in animum induxisset; potuisset quidem cũ minore repræhensione quantum satis fuisset largiri, nec in tantum damnum dedecusq; incurrisset. Sed hoc vno sibi blandiebatur, quòd matronã nullam tangeret. quo nomine [illegible] placere solet Marsæus amator Originis meretricis, in quam cum vniuersum patrimoniũ

 expendat

expendat, in hoc sibi tamẽ applaudit, quòd cum alienis vxoribus rem nõ habeat: quasi continuò sequatur cum esse virum bonum & omni vacare culpa, qui matronarum cõcubitu abstinet, ac non oporteat etiam meretrices vitare, aut quasi ex frequenti meretricum commertio census tantùm atteratur, ac non etiam infamia tales cõsequatur An autem satis esse tibi videtur certas personas declinare, & non illud etiam quod vbiq; officit, euitare? Sanè semper malum est famæ patrimonijq; iacturam facere in quamcunq; pecces personam. nec certè video, quid admodum intersit vtrum quis in matrona, an in ancilla, an in togata delinquat, cum iuxta Stoicorum sententiam, nõ perpetratum scelus, sed perpetrãtis voluntatem spectare oporteat. Vis autem quàm periculosum sit matronas nobiles sectari, manifestius cognoscere: vel hinc discas lice[illegible] Villius quidam, non quidem Syllæ ge[illegible]le, sed quòd toties cum Fausta Syllæ [illegible] muliere impudica consueuisset, vt ge[illegible]e videri posset, cũ Faustam propter [illegible]atem tantummodo, & quòd Syllæ dictatoris esset filia, immodicè deperiret, quodam

quodam tempore ab operis Lōgareni, qui & ipse vnus erat ex Faustæ amatoribus, nō solùm foribus exclusus est, sed etiam vsque adeo grauiter pugnis & ferro vulneratus est, vt pene interierit. Quæso huic Villio si muto diceret, nunquid quotiescunq; rumpor tentigine, deposco de consulum stirpe oriundas? quid respōderet Villius? an hoc? Nobili patre nata est, ideoq; libertinæ præferenda. At quanto meliora, quàm Villius qui falsa opinione corruptus est, monet natura, diues quidem illa, si rectè eius munera dispensare nossemus, ac non omnia confunderemus. Multas siquidem illa produxit mulieres, quibus absq; periculo frui possimus. Sed ita occæcati sumus, vt in nobili quàm plebeia suauior venus nobis esse videatur: qui error nō aliunde sanè, quàm ex nostro non naturę vitio proficiscitur. Quæ cum ita sint, quis non videt matronarum
complexus remis velisq; fugiendos, e[illegible]
bus nihil mellis, aloës autem plurimū
per colligitur? Quòd si mihi dixeris [illegible]
liorum membra esse q̃ alienarum ca[illegible]
ra molliorāq;, respondebo tibi co[illegible] O
modo non esse formosiora magisq; tenera,

 quantum

quantumcunq; pretiosis lapillis tecta sint:
sed etiam frequenter turpiora fœdioraq́;,
(quanquam ô Cherinte ex tali vestiũ splen
dore formam tuam augeri opinaris.) Si=
quidem forma illa vera genuinaq́; in natu
rali cõsistit bonitate, nõ ascititijs fucis: vn=
vnde cũ pauperiores naturali pulchritudi
ne contentæ sint, nullumq́; aliunde colorẽ
accersant, quis nõ fatebitur has illis formo
siores? Accedit eò, q̃d corpora sua nullo te
ctorio obuelant, sed potius omnibus denu
dant, neq; pulchra palam ostẽdant & defor
mia occultant, quẽadmodum faciũt matro
næ. Reges quidem ac potentiores quoties
equos comparare volunt, totos contempla
ri solent, non vnam tantum corporis par=
tem. Videlicet ne sola pulchritudine clu=
nium, aut faciei, aut ceruicis inducti, emãt
pro generoso morbidum aut pedibus la=
borantem. Rectè sanè hoc illi faciunt. Sed
nam & nos eam circa mulieres conside
nẽ adhiberemus, neq; ea solum mem
uæ formosa sunt intueremur, & de=
... oculis cæcutientibus preteriremus
Quidam sola brachia & sola crura lau=
dant, ad cætera vitia non animaduertẽtes.

At

At sæpius fit vt illæ, quibus pulchra sunt & formosa crura, prodigiosas habeant nates, nasum ingentem, & pedes immanes. Qui possis autem de toto matronę corpore iudicare, cùm solam illa faciem ostēdat, & cætera membra vestium longitudine abscōdat? Neq; enim facile inuenias vllam Catiæ similem, quæ ob fœmorum pulchritudinem sibi placens omni abiecto pudore veste adeo alta vti solebat, vt eius etiam apparerēt genua. Quòd si autem ne decipiaris etiam occulta earum membra quibus tibi interdicūt, quæq; abs te videri nolunt, propius aspicere attentes, sexcentis rebus obstantibus non queas. quippe tum multitudine vestium, tum satellitum, parasitarum, & ciniflonum custodijs sic munitæ ac vallatæ sunt, vt ad eas ne accedere quidem tibi liceat, tantùm abest, vt eas totas intus & in cute, quod aiunt, contemplari possis. Imò si quid iudico, quanto plura [illegible] obstacula, tanto magis inflamm[illegible] ita ēm ferè nati sumus oēs, vt sem[illegible] nitamur, & negata vehem[illegible]. Nihil verò simile in libertinis [illegible] prostitutis. Nam illę co[r]pus suum [illegible]

dō non velant ac occultant, ſed etiam tam lucidis tamq́; ſubtilibus veſtimentis vtuntur, vt poſſis eas totas non ſecus videre, ac ſi prorſus nudæ eſſent: membraq́; omnia perſpicere, ſint ne recta ac integra, an verò mala ac turpia. Quin & poſſis ipſarum latus oculis metiri, vt hic nullum fucum nullam imposturā metuere debeas. Quod cū ita ſit, mauis, ô ſtulte, ſtrui tibi inſidias à matrona fucata, & antè mercedem cōcubitus dare, q̄ corpus eius videre? Quæſo quē reperiaſtam ſtolidū mercatorē, qui pretium numerare velit merce nondum inſpecta? Sed reſpondebit mihi, ſcio, inſanus hic matronarū amator: quemadmodū venator fugientē per niues leporē libenter ſequitur, infirmū aūt ac nō fugientē ne aſpicere quidem dignat̄: ita ego facilē & cuiuis obuiā amicam contemno, difficilem amo: Putas autem hac ſimilitudine, ô veſane, amores tuos pectoriſq́; tui incēdia poſſe reſtingui? Nonne multo ſatius eſſet ſcrutari, quē cupi[illegible]ibus finem ſtatuerit natura, quid to l[illegible]ſit ſi deneget̄, qd denegatū ſuſti[illegible]re no[illegible]ſſit, & inutilia à neceſſarijs recidere? Na[illegible]oc ſi faceres, naturā plebeia mu

liere

liere contentam esse, neque eam matronas semper desiderare comperires. quod quidem certè hoc argumẽto manifestius fiet. Panis adeo necessarius est homini, vt absq; eo vitam tolerare nemo possit. Phasianum autem, etsi pane melior est, non tamen sic requirit natura, vt eo facile non careat. ad eum modum fœminarum vsus nobis fortassis omnino necessarius fuerit: sed matronarum, non perinde. Probabo & hoc argumentis multo manifestioribus. Cùm sitis, quæris ne aurea pocula: aut quum esuris, nihil edas præter Pauones & Rhombos? Non puto. Nam bibendi edendiq; desiderium, potest potu ciboq; etiam ignobili sedari. eodem modo quum ad libidinem explendam prurigo te solicitat, an cruciari mauis, quàm in ancilla aut vulgari aliqua puella incendium tuum restinguere? Certè ego non malim, imò diligo magis, longeq; pluris illas facio, quæ faciles paratu sunt, & viros quos metuant non habent. Illas verò, quæ pollicentur quidem se venturas, sed paulò post, & sub his cõditionibus, si plus solito numeretur, & si vir rus abeat: omnino auersor ac reijcio. & mecum etiam

sentiebat

sentiebat Philodemus Epicureus, qui matronas istas, quæ amatores arte norunt inescare, longisq; dilationibus sui cupidiores efficere, gallis Cybeles sacerdotibus, qui quia castrati sunt, morã istam pati possunt, relinquendas esse censebat: sibi autem dari optabat, quæ & paruo constant, & quæ iussæ quamprimum veniunt. Vt ergo duobus verbis quę prolixè ante disputata sunt concludam, illam ego quę ametur dignam iudico, quæ candida, recta, munda, & ab omnibus fucis illecebrisque aliena fuerit: cuiq; magnitudo formaq; naturalis placuerit, siue nobilis illa sit, siue libertina, siue in Togatarum classe. & sanè cùm talis in complexibus hæret meis, Ilia & Aegeria mihi est, fingoq; in tenebris aliquam è generosioribus esse, ex qua quidem fictione geminũ sentio bonum. Nam præterquam quod in tali non minorem quàm in matrona illustri voluptatem percipio, etiam nullum formido periculum. Non enim metuo ne rure maritus reuertatur, vt quæ matrimonio copulata nõ sit: ne frangatur ianua: ne canis aduenientis viri latret: ne mulier adulterij cõscia de lecto pallida desiliat, &

aduentu

aduentu viri miseram se clamet, deprehensaq; cum ancillis instigatricibus repudietur, dotemq; amittat. Non timeo pręterea ne cõtumeliam vllam infamiamve patiar, néve deprehenso mihi maritus testes præcîdat, aut saltem pœnã illam magna summa redimere me oporteat. Nam in huiusmodi pericula, atque etiam his maiora vt plurimum incidũt nobilium & nuptarum cõcubitores. Et vt certè nulla alia accedat iactura, vel iudice Fabio, qui sæpenumero hoc expertus est, facile me conuicturum spero, longè miserrimum esse à marito deprehendi. Nam minimum fugiendum est nudo pede & semi cincta tunica.

FINIS.

Antuerpiæ typis
Antonij Goyni. Anno
M. D. XLI.